





10

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
EXACTA AEQUALITATE
INTER VTRIVSQVE RELIGIONIS
CONSORTES
PER IMPERIVM GERMANICVM.

QVAM
AVSPICIIS REGIIS
ILLVSTRIS
IVRISCONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
FRIDERICVS AVGVSTVS SCHMELZER
FRANCOHVSANVS.

DIE X. SEPTEMBR. MDCCCLXXXV.

GOETTINGAE
Typis B A R M E I E R I A N I S.



DISSERTATIO IN ACADEMIA
DE
EXACTA AEOVALIATE
INTER VTIUSQUE RELIGIONIS
CONSORTES
PER IMPERIVM GERMANICVM

AVGVSTVS
AVSPICIS REGIS
ILLVSTRIS
PARSONIVM ORDINIS ACADEMIAE
LEO
AVGVSTVS IN VITAE VIRE HONORIS
LEGITIME IMPERATORIS
PABRICII DEBARDI
AVGVSTVS
FRIDERICVS AVGVSTVS SEMMLER
FRANCOFVRTAE

DIE X. SEPTEMBRIS MDCCCLXXII

GOTTINGAE

Typi F. W. A. B. S. P. N. S.



DVVMVIRIS

MERITIS IN PATRIAM

ET OMNI VIRTVTIS LAVDE CONSPICVIS

V I R O

MAGNIFICO ET MAXIME REVERENDO

M. GEBHARDO AVGVSTO
SCHMELZER

SERENISSIMO PRINCIPI SCHWARZBVRGIAE RVDOLSTADIENSI
A CONSILII CONSISTORII SVPERINTENDENTI GENERALI
PASTORI PRIMARIO SCHOLARVM INSPECTORI

V I R O

AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO

WILHELMO REINHOLDO
SCHMELZER

CIVITATIS FRANCOVVSANAE CONSVLI GRAVISSIMO
IVDICII SALINARIS ASSESSORI

PATRVIS SVIS
OMNI PIETATE VENERANDIS
HANC DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
IN PERPETVAE
PIETATIS AC OBSERVANTIAE
TESTIMONIUM
CVM VOTO
OMNIGENAE ET DIVTVRNAE
PROSPERITATIS
D. D. D.

FRIDERICVS AVGVSTVS SCHMELZER.

CONSPECTVS.

PROOEMIUM *argumentum* libelli et *modum*, quo conscriptus est, exponit.

SECTIO I.

HABITVM RELIGIONIS AD REMPUBLICAM BREVITER DESCRIBIT.

Membr. I. In genere iura ac conditionem ciuium respectu religionis *ex principiis iuris publ. vniuers.* definit; ex quibus apparet.

- a) Rempublicam et ecclesiam *duas* esse societates a se inuicem valde *diuersas* — §. I.
- b) *Finem Ecclesiae* esse *spiritualem*, non ad externum et ciuile aliquod bonum immediate directum: *finem Ciuitatum* vero esse *pacem et felicitatem externam*. — §. II.
- c) Vnde porro inferitur: imperantis officium directo non pertinere *ad curam animarum*, sed in promouenda *felicitate ciuium externa* consistere. — §. III.
- d) Quae quidem, cum ecclesiae dogmatibus et institutis periclitari possit, *excolendae rationi subditorum* curam quoque impendere, simulque cauere debet: *ex institutis Ecclesiae ne quid Respublica detrimenti capiat*. — §. IV.
- e) Quoniam vero plurimae religiones *ciuilitate indifferentes* sint: — §. V.
- f) Demonstratur diuersitatem religionis *qua talem* inter ciues vnus reipublicae nunquam operari iurium disproportionem. — §. VI.

Membrum II. In specie iura ac conditionem ciuium Germaniae Evangelicae religionis ex ipsis *imperii legibus* summam exponit;

- a) nimirum qualis fuerit inde a primis reformationis incunabilis vsque ad pacem Norimb. — §. VII.
 - b) A pace Norimb. vsque ad transact. Passau. — §. VIII.
 - c) Exinde vsque ad pacem Westphal. exclusiue — §. IX.
- Vnde colligitur, iam ante pacem W. si non *formaliter* et inter singula, vtriusque religionis, imperii

membra: certe tamen *virtualiter* et inter status exactam aequalitatem esse introductam. §. X.

SECTIO II.

DE DISPOSITIONIBVS I. P. O. AGIT, QVIBVS INTER VTRIVSQVE RELIGIONIS SODALES EXACTA AEQUALITAS STABILITA EST. Cuius

Membrum I. Seriem tractatum, qui huius argumenti dispositiones generales praecesserunt, in compendio sistit, et quidem

- a) historiam §i I. art. V. quo iura statuum respectu religionis in genere definiuntur. — §. XI. - XVI.
- b) historiam §i XXXV. art. V. qui ad subditos spectat. §. XV. XVI.

Membr. II. Ipsas dispositiones exhibet, scilicet

- A) *generales* §§or. I. et XXXV. art. V. — §. XVII.
- B) *speciales*, quae in suas classes describuntur — §. XVIII.
 - a) quarum *prima* continet illas leges, quae disertis verbis *utriusque Ecclesiae* membris aequalia iura praefiniunt. — §. XIX.
 - b) *Secunda* vero dispositiones illas, quibus tantum membrorum *alterius religionis* mentio fit, quibus iura adscribuntur, quorum communione alterius religionis coactores neque prohibentur nec ad eorum usum communem expressis verbis vocantur — §. XX.
 - c) *tertia* denique singulas *exceptiones* a regula generali continet,
 - α) tam *explicite* in I. P. O. fundatas, — §. XXI.
 - β) quam *implicite* stabilitas, per clausulas:
 - κ) quatenus formae reipublicae, — §. XXII.
 - λ) et constitutt. imp. conformis est. -- §. XXIII.

SECTIO III.

NATVRAM ET INDOLEM AEQUALITATIS EXPLICAT SIMVLQVE EIVS VSVM ET ABVSVM OSTENDIT.

Quo fine primum detegitur,

I) *Intentio* paciscentium, — §. XXIV. — deinde declaratur

II) *Mens* dispositionum,

a) §i I. art. V. — §. XXV. XXVI.

b) §i XXXV. eiusd. artic. — §. XXVII. — vnde eruitur

III. Ra-

III) *Ratio* harum functionum — §. XXVIII. — quibus praecognitis dimetiri potest,

A) Cum *ambitus* huius regulae, praesertim ope principii, quousque patet legis ratio, eousque tendit eius dispositio; — §. XXIX. — hinc palam fit:

a) Dispositiones §§or. I. et XXXV. esse generales, — §. XXX. — quod confirmatur,

α) ipsa Catholicorum confessione, — §. XXXI. — nec non

β) totius corporis Catholicorum agnitione publ. §. XXXII.

b) Earum vim consistere in exaequatione, seu *ισονομία* membrorum utriusque religionis, quantum ad iura imperii communia, tam in politicis, quam in ecclesiasticis — §. XXXIII.

B) Tum *limites*, qui reguntur axiomatibus illis:

a) Cessante ratione legis, cessat dispositio; — §. XXXIV. — ex quo conficitur:

α) minime discrepantiam, quae inter *ipsas religiones* earumque statuta peculiariter inualuit, hac regula tolli; — §. XXXV.

β) nec illud discrimen, quod inter *status eorumque iura*. religionum diuortio nondum insequuto, obtinuit, euertere; — §. XXXVI.

γ) nec denique aequalitatem illam inuoluere communionem *iurium singularium*. — §. XXXVII.

b) Lex specialis, qua a regula generali exceptio fit, est strictae interpretationis, quod applicatur

α) ad dispositiones tertiae classis; — §. XXXVIII. — nec non

β) ad dispositiones secundae classis. — §. XXXIX.

C) Definitur diuersitas aequalitatis, quae inter *status* constituta est, ab ea, quae inter *subditos* obtinet, — §. XL.

D) Ex praemissis principiis corollaria deducuntur, — §. XLI.

a) quorum applicatio ad casus speciales exemplis illustratur, §. XLII. quo sine simul

b) potissimi casus memorantur, quibus alterutrum corpus applicationem huius regulae exegit. §. XLIII.

SECTIO

SECTIO IV.

ARGUMENTA DISSENTIENTIVM REFERT ET EXAMINAT.

- A) Negatur ab aduersariis aequalitatem esse exactam et omnimodam
- I) Propter dispositiones primae classis — §. XLIV.
Quod refutatur — §. XLV.
- II) Ideo, quod omnia ea iura, quae Catholicis non sint expresse adempta salua stent et inconcussa — §. XLVI.
Cuius hypothesis falsitas detegitur — §. XLVII.
- III) Quoniam multiformis et dispar existat statuum conditio §. XLVIII.
Quo lemmate statum controuersiae mutari docetur. §. XLIX.
- IV. Propterea, quod inter religiones heterogeneas quoad singula earum instituta, caerimonias et dogmata aequalitas exacta cogitari nequeat — §. L.
Quod conceditur; infringitur vero vis argumenti, quandoquidem neglectis terminis habilibus a diuersis ad diuersa colligitur — §. LI.
- V) Ea denique de causa, quod in numero summa saepe inaequalitas appareat. — §. LII.
Cuius contrarium, exceptis excipiendis demonstratur §. LIII.
- B) Peccatur in applicatione huius regulae
- I) Cum *extendendo* illam ultra iustos limites
- a) ad iura specialia, singulis Germaniae rebuspublicis propria — §. LIV.
- b) ad iurisdictionem ecclesiasticam Catholicorum statuum in subditos Euangelicos — §. LV.
- II) Tum *restringendo*
- a) ad placita primi ordinis, — §. LVI.
- b) ad administrationem iustitiae. — §. LVII.
- c) per fictiones exceptionum ineptas,
- α) partim a legibus antiquatis vel falso explicatis desumptas, ex quibus
- 1) Iudici camerae imper. votum decisiuum, §. LVIII.
- 2) et summis imp. tribunalibus iurisdictionem in causis Euangelicor. eccles. adstruere satagunt — §. LIX.
- β) partim a disposit. secundae classis petitas. §. LX.

EPILOGVS. §. LXI.

PROOE-

PROOEMIUM.

Cum tanta in vita hominum sit omnium rerum vicissitudo, tam mira et profus infinita actionum moralium varietas, ut singulas singulis suis legum positivarum cancellis circumscribere, atque, ut ita dicam, omni modo determinare nulla certe humana sapientia possit: is, qui, quod iustum est, disquirat, modo legis dispositiones ad casus proferre debet, quamvis legis significatione non comprehensos; modo quaedam excipere, quae nominatim legis verbis continentur; modo regulas iuris generales, casibus specialibus applicare; modo, secundum analogiam iuris, vel adeo secundum iusti praecepta naturalia, quae positivis definita non sunt, determinare.

Quae quidem explicandarum et applicandarum legum ratio, quum potissimum interpretum ac iudicum ratiociniis nitatur, idque natura cunctis fere insitum sit, ut in eam sententiam quicquid facile accipiant, quam cum illis, quibus a teneris imbuti sunt, doctrinis conciliare possunt; deinde vero, quum animi, sectae aut partium studio praepediti, quoquo modo claris-

A

simis

simis rebus tenebras obducere, expedita tricis inuoluere, errores vero, quos fouent, specie quadam veritatis infucare enitantur: mirum profecto non est, quod in tanta, qua viuimus, aliarum super alias aceruatarum legum copia quotidie tamen nouae lites emergant, legesque a iurisconsultis aliter, atque a leguleiis rabulisque fieri assolet, exponantur, et ad facta singularia applicentur.

Atque his quidem diuersis interpretationibus, si quae aliae imperii constitutiones, ita eae inprimis, *quibus reciproca utriusque religionis iura reguntur*, vexatae sunt. Trahuntur enim plerique religionis studio, et optimus quisque desiderio ducitur, inseruendi, quoad eius fieri potest, commodis eorum, qui eadem cum ipso fidei dogmata profitentur. Hinc illae lacrymae! Inde tot enatae sunt lites, quibus ius nonnunquam tam contortum extitit, ut iudices in causis omnibus, quae inter ciues diuersae religionis volutantur, optare malis neutri religioni addictos, honestos tantummodo viros.

Est inter utriusque religionis sodales *mutuae aequalitatis* aeterna regula legibus imperii stabilita. Sancitum est, ut in omnibus causis, quod *uni* parti iustum est, *alteri* quoque iustum esse debeat, donec expressa dispositione doceatur contrarium: verum enim vero, quot modis, et quantis moliminibus hanc regulam oppugnare, contorquere, eludere satergerunt religionis improuido zelo abrepti!

Nostris adeo diebus, quod mirandum sane, extitit vir, eruditionis laude ac muneris grauitate conspicuus, cui regula

exa-



exactae aequalitatis pace W. posita non generalis, sed *ad administrationem iustitiae* restricta videbatur!

Non est, quod multis exponam, quantum expediat, huius regulae vim et potestatem probe habuisse perspectam. Quotidie ad illam vltro citroque recurritur. Qua de re miratus sum, quod ego quidem neminem repperim, qui id sibi negotii sumfisset, indolem ac naturam huius regulae singulari libello illustrare, praeter perill. RIEFELIUM, qui ante aliquot annos *de aequalitate religionis pacis Westphalicae* a) breuibus disseruit. Non tamen dubito, fore plerosque, qui hoc genus scripturae leue, et non satis dignum huius Viri persona iudicent, praesertim cum relatum legent, quibus artibus ambitum huius regulae coangustare tentauerit. Quod pluribus persequi quarta huius libelli sectione constituimus. *Prima* vero, ex principiis iuris publici vniuersalis, demonstrabimus: diuersitatem religionis, qua talem, inter ciues vnius reipublicae, nunquam operari iurium disproportionem, vnicuique liberum esse debere, a pristina religione diuertere, alteramque, modo salutis reipublicae haud inimicam, amplecti, *saluis iuribus quibuscumque*; simul exposituri, quatenus inde a dissidio religionis, per Lutherum excitato, hisce principiis in Germania obtemperatum fuerit? Tum *secunda*, vt eo melius perspiciatur vera paciscentium intentio, seriem tractatum, qui eas praecesserunt I. P. O. dispositiones, quae huiusce speciminis vtramque faciunt paginam

A 2 in

a) *Von der Religions-Gleichheit* Betrachtungen über verschiedene
des W. Friedens, in sylloge commentatt. quae inscripsit: *Critische* Staatsfragen, tom. I, comment. I.

in compendio sistere, ipsaque legum placita in suas classes ordine descripta exhibere; *tertia* deinde naturam, indolem, et applicationem harum sanctionum ostendere; *quarta* denique objectiones et dubia dissentientium exponere, pensitare, ac refutare decreuimus.

SECTIO. I.

Membr. I.

§. I.

Ecclesia et respublica duae sunt societates, quarum diuersa est ratio, diuersus finis. *Ill*a est societas hominum, per eandem fidem vnitorum, de religione colenda: *haec vero* est societas plurium familiarum, ad consequendam felicitatem externam sub communi aliquo imperio vnitarum. Ciuitates igitur non sunt primario propter religionem, neque religiones propter ciuitatem; vtriusque suae constant separatae rationes: datur *ecclesia* extra ciuitatem; datur *ciuitas* extra ecclesiam, quamuis certum sit, religionem esse firmissimum societatis vinculum.

§. II.

Finis coetuum sacrorum primarius, quod res ipsa docet, est spiritualis, non ad externum et ciuile aliquod bonum obtinendum immediate directus, sed ad cultum summi numinis, ad emendationem animi salutemque ipsius aeternam praecipue comparatus. *Ciuitatum vero* non est alius finis, quam pax, salus

salus et securitas externa; quae huius vitae commoda, conficiatis sub communi imperio animis viribusque, melius, quam a paucis aut a singulis fieri potest, promouentur.

§. III.

Atqui quum homines non ideo in *societatem civilem* coeant, nec ea de causa summae sese subiciant potestati, ut *post mortem* demum beati existant: quum ideo potius naturali libertati renuncient, ut in *hac vita* quiete et tranquille vivere possint: consequitur, omne ius omnemque potestatem imperantis consistere in eo, ut actiones subditorum ad finem hunc obtinendum sapienter dirigat. Caeterum, nil refert, qua caelum via petant, modo cunctas actiones suas ad legum praecepta conforment, et ita bonorum civium officiis defungantur. Hoc solummodo imperans a quolibet subditorum recte exigit, ad hoc quemlibet iure cogit.

§. IV.

Quum vero ita natura omnes comparati simus, ut absque causa aliqua impulsiva nihil nec appetamus nec fugiamus; cum experientia satis comprobatum sit, poenae metum non sufficere, ad homines intra iustos officiorum suorum limites cohibendos; cum omnes, quorum ratio tenebris immerfa torpet, vel inscii peccare, vel diris cupiditatibus incensi, in suam aliorumque perniciem ruere soleant: facile apparet hoc etiam imperantis esse, *firmius aliquod legibus praesidium quaerere*, quod vnice rationi subditorum excolenda

dae, sanaeque religioni curam habendo, parari potest. Haec enim sunt, quae, eam virtutem, cuius amore oderunt peccare boni, ut hanc quoque vitam beate vivere possimus, ubique sequendam esse, firmissime nobis persuadent.

In hoc quid religio possit, quis est, qui non sentiat? Sequitur ergo, rempublicam et ecclesiam, licet in se valde diversa, artissimo tamen vinculo inter se contineri. Inde *ius* illud descendit maiestaticum *circa sacra*, vi cuius imperans determinare potest, *quae in ecclesia respectum habent, ad reipublicae salutem vel ad tutelam publicam*. Huic fundamento inniuntur iura illa imperii civilis negativa, impediendi scilicet et cauendi, ex institutis ecclesiae ne quid respublica detrimenti capiat. Etenim, tantum abest, ut omnis religio civiliter indifferens sit: ut potius dentur aliae, quibus finis reipublicarum, id est felicitas externa, valde impeditur: aliae vero, quibus mirifice adiuuatur. Sic v. c. ea religio non poterit reipublicae non inimica ac noxia esse, quae fato cuncta regi docet, quae haeretico fidem non esse seruandam tradit; periclitatur quoque salus publica perniciosissimis illis dogmatibus, de *probabilismo morali*, *peccato philosophico*, *reseruatione mentali*, rel.; quae, aliaeque huius generis principia, turbas ac seditiones excitant innumerisque flagitiis, exitium reipublicae minantibus, ansam praebent. Ea vero religio, quae asserit esse Deum, mundi auctorem, qui, quae nos gerimus, audit ac videt, qui res humanas curat, cunctasque nostras actiones liberas iusto arbitrio diiudicat; quae honeste viuendum, neminem laedendum, suum cuique tribuen-

buendum tradit, quae virtutis ac pietatis studio Deum colendum esse praecipit, quae dolendum esse ob peccata, ab iisque respiscendum docet, quae nexum hanc inter et futuram vitam statuit, vi cuius virtutem salus, malitiam vero infortunium sequatur: ea profecto non potest non legibus esse praesidio, et externae quoque felicitatis optima promotrix.

§. V.

Haec fere sunt, quae cuiuslibet bonae religionis principia *fundamentalia* esse oportet. In quibus cum hodie pleraeque religiones amice conspirent, in *accidentalibus* tantum, id est, articulis theoreticis seu speculatiuis a se inuicem distinctae: consequitur, omnes, quae in principiis istis fundamentalibus nihil aberrant, absque periculo in vna republica simul exerceri posse, ciuesque, cuiuslibet harum religionum addictos, *aequali iure ac protectione* tutos esse debere b). Huc accedit, quod ratio humana, solius conuictionis, quae ex ratiocinatione proficitur, arbitrio obno-

b) Egregie, quae modo dixi, confirmat ROUSSEAU *contr. soc.* ch. 8. „le droit, que le pacte social donne au souverain sur les sujets, ne passe point les bornes de l'utilité publique. Les sujets ne doivent donc compte au souverain de leurs opinions, *qu'autant que ces opinions importent à la communauté.* Or, il importe bien à l'Etat, que chaque citoyen ait une religion, qui lui fasse aimer ses devoirs; mais les dogmes de cette religion n'interessent ni l'Etat, ni ses membres, qu'

autant, que ces dogmes se rapportent à la morale et aux devoirs, que celui, qui la professe est tenu de remplir envers autrui. Chacun peut avoir au surplus telles opinions qu'il lui plaît sans qu'il appartienne au souverain d'en connoître. Car, comme il n'y a point de competence dans l'autre monde, quel que soit le sort des sujets dans la vie à venir, ce n'est pas son affaire; *pourvu qu'ils soyent bons citoyens dans celle-ci.*„

obnoxia, omnis omnino coactionis sit expers. Neque rei natura patitur, ut omnibus iidem de rebus, praecipue illis, quae sensus externos non ferunt, esse possint conceptus. Cum igitur haec diuersitas concipiendi et cogitandi, non tam ab hominis electione, quam a naturali intellectus sui dispositione pendeat: nemo alteri vitio vertere potest, quod aliter cogitet, cum ipsi nequeat imputare, quod cognoscendi facultatem natura aliter comparatam habeat. Qua de causa quotusquisque, quoad conscientiam et cogitationes, liber esse debet ab omni coactione *externa*; ubi vero absoluta libertas externa, ibi exulant leges; ubi nulla lex, ibi etiam in legem impingi non potest, ibi nec contemptus nec poena locum habet.

Haec rectae rationis dictamina, uti valent de *singulis hominibus* inter se: ita quoque custodiri debent *inter gentes* liberas, populosque sui iuris. Quis enim cum GROTIUS c) iura gentium sacris quoque discernere, et pro eorum diuersitate vniam alteri praeponere audeat!

§. VI.

Hinc igitur oppido apparet, cuilibet subditorum integrum esse debere, a pristina religione diuertere, aliamque, quae fini reipublicae non aduersatur, amplecti, saluis iuribus quibuscunque. Porro liquet: ad disproportionem iurium inter membra vnus ciuitatis, sed diuersae religionis, introducendam, necessario requiri *causae cognitionem*, quam sequi debet *expressa lex*, iusto legitimoque modo rogata et promulgata. Quicumque igitur

c) de iure B. et P. l. 2. c. 20. §. 44.



tur contendit, A. C. sodales eo ipso, quod a pristina ecclesia catholica defecerint, eorum iurium commercio excidisse, quibus antea cum reliquis conciuibus vñ fuerant: probare debet religionem euangelicam manifesto salutis publicae exitiosam esse, ideoque valida imperii lege, iusto legitimoque modo perlatam prorsus condemnatam. Quod quum vix ac ne vix quidem aliquis erit tam insolens ac peruersus, qui affirmare audeat: negari quoque non potest, iniustissimas fuisse omnes omnino persecutiones, omniaque bella, quae non defensionis causa, sed tantum ad opprimendam aut eliminandam alterutram religionem sunt gesta; omniaque et singula iura, statibus et subditis utriusque religionis competentia, in eodem, quo antea fuerant statu, persistere oportuisse.

Membrum II.

§. VII.

Hisce restae rationis iam expositis dictaminibus, quatenus olim in *Germania* obtemperatum fuerit, videamus.

Nec locus hic, nec animus est, lugubrem temporum illorum reficere memoriam, quibus caeca et dominatrix animorum ambitio, religionis defendendae praetextu, tot nefanda flagitia patrauit, quibus miseri mortales, quam ore profitebantur, factis religionem eierabant. Nemini ignota seculorum vix praeterlapforum tristissima facies; qua de causa pro instituti ratione paucis tantum indicabimus, qualem hisce malis medicinam adhibuerit legislatoria potestas.

B

Pri-

Primum imperator, vnitati ecclesiae conservandae intentus, concordiam restituere tentauit *proscriptione* LUTHERI illius, coniuncta cum damnatione, quam professus erat, doctrinae, edicto die XXVI. Martii 1521. Wormatae publicato d).

Neque tamen edictum illud multum operabatur: quin potius, cum haec comitalis de religione actio, illam celebriorem multo atque augustiorem redderet, accidit, ut numerus eorum, qui saniores viri illius doctrinam amplectabantur, in dies glisceret. Differebatur propterea et in suspenso relinquebatur executio huius edicti, usque ad futura comitia e). Tametsi vero id aegre ferens *sacrorum antistes Romanus* Caesarem acriter increparet: sequenti tamen conuentu Augustano per *Ferdinandum R.* nihil mutatum, sed illud saltem superiori decreto additum est: *Vt verbum dei proponeretur secundum sententiam doctorum, quos ecclesia christiana receperit, docereturque non seditiose, verum sic, ut tranquillitas publica retineretur f).*

Mutata paulo post rerum facie, praecipue per *Albert. Brandenburgensem, Io. Saxonem* et *Philipp. Hassiac.* in comitiis Spirensibus paulo laxius decreto publico edictum: *ita se gerant ordines in suo quisque territorio, quo facti sui probabilem rationem Deo simul et Caesari reddere queant g).*

Sed mutatis rursus consiliis, ad instantiam Caesaris, paulo post in comitiis sussequeutis, a 1529. decretum est: recessum

d) exstat illud ap. GOLDAST *constitut. imperial.* l. 2. p. 143. cf. SECKENDORF *hist. Luther.* l. 1. c. 1. sect. 43. §. 97.

e) R. I. 1524. §. 28.

f) R. I. (*Aug.*) 1526. §. 1.

g) R. I. (*Spir.*) 1626. §. 4.

sum imp. d. a. 1526. in abusum esse protractum, ideoque edictum Wormatiense d. a. 1521. apud eos, qui illud hactenus obseruassent, usque ad concil. et in posterum obseruandum esse: reliquos, apud quos noua doctrina, non sine turbis ac malis publicis orta, ab omni nouatione, quantum possibile, praesertim a doctrina de coena Domini, eiusque praedicatione, abolitione missae, abstinere, neminemque apud illos in ista audienda impediri debere h).

Interposita contra hoc decretum per aliquot principes et ciuitates protestatione, et promulgata simul a. 1530. fidei suae confessione, acre atque minax decretum Caesar publicari iussit i). Quum vero animaduerneret, Protestantes copiis non solum, sed amicitis adeo cum exteris valere, ab executione huius decreti destitit, et de pace perficienda cogitare coepit. Quae demum confecta est Norimbergae, durantibus comitiis Ratisbonensibus 1532., in quibus eam solenni edicto promulgauit. Ibi tandem aliquando caesar edicit: religionis causa nemini ullae molestiae creator k).

B 2

Sed

h) R. I. 1529. §. 3. 4. 5.
 i) R. I. 1530. §. 38. . . . „Demnach gebieten wir, daß in dem ganzen Römischen Reich festiglich gehalten, gelehret und geprediget werde, daß unter den Gestalten des Brods und Weins und unter jeglichem derselben der wahre Leib und das wahre Blut unsers Heilmachers wesentlich und wahrhaftig

gegenwärtig sey . . . und daß alle diejenigen, so darwider lehren, schreiben, predigen oder halten, nicht geduldet, angenommen oder gestattet werden sollen.,

k) tabb. extant ap. HORTLEDER von den Ursachen des T. Krieges t. I. I. c. 10. II. 12. vid. SECKENDORF I. 3. §. 5. et 9.

§. VIII.

Sed Pontifex Rom., his concordiae obtinendae saluberrimis consiliis semper reluctans, foedere, Caesarem inter et Franciscum Galliarum Regem apud Sueffiones inito, vtrumque principem ad arma contra Germanos capienda sacramento sibi deuinciebat. Quo facto exarsit bellum illud Schmalcaldicum, quo finito, partaque Caesari victoria, famosum illud decretum in comitiis Augustanis, 1548., quod *Interim* vulgo audit, statibus obtrudere contendit.

Quum vero haec formula nouis motibus fomitem admo-
veret, praeter omnium opinionem res Protestantium, tempore
belli Germanici in extremo fortis periculo constituta, post
varios ancipitesque casus eum exitum fortita est, vt transac-
tione Passau. 1552. vtrinque a Caesare et Ordinibus sancire-
tur: *A. C. socios, religionis causa, nullatenus nec turbandos, nec despi-
ciendos esse, eosque, tam ratione religionis, quam ratione iurium, contra
omnes inquietationes et cuiuscunque generis attentata, tutos esse debere* l).
Praeterea decretum esse legimus, vt iura communia et leges
impē-

l) *transact. Passau. §. 8.* „Weder die Kaiserl. Maj., Wir, (Ferd. I.) noch Churfürsten, und Stände des H. R. R., wollen keinen Stand, der A. C. Verwandt, der Religion haben, mit der That, gewaltiger Weis, oder in andere Weg, wider sein Consciencz und Willen dringen, oder derhalben überziehen, beschädigen, durch Mandat oder einiger anderer Gestalt beschweren oder verachten; sondern bey solcher

seiner Religion und Glauben ruhig und friedlich bleiben lassen.“
et §. 9. — „Sollen auch . . . in alle Weg nach Laut und Ausweisung unfer und des Reichs Rechten, Ordnungen, Abschied, und aufgerichteten Landfrieden, ieder sich gegen den andern an gebührenden ordentlichen Rechten, alles bey Vermeidung der Poen, in jüngst ernennerten Landfrieden begriffen, begnügen lassen.“

imperii, uti intuitu Catholicorum, ita quoque intuitu protestantium, obtinerent, et, ne factionibus studiisque Catholicorum vlla in re laederentur, fides data est, fore, ut proximis comitiis stabiliretur: ne in causis, ad religionem quoquo modo spectantibus, maior votorum numerus ius faceret, quin etiam, ne A. C. additi a iudicio camerae imperialis arcerentur m).

§. IX.

Attamen, tam cito odium illud religionis, et quae inde noua in dies exsurgabant mala, submoueri non poterant. Caesar ideo et ordines, transactionem Passauii initam non sufficere rati, de stabilienda pleniori et magis determinata pace cogitare coeperunt; quae quidem mox infecuta est a. 1555., in eaque securitas vtriusque religionis consortium, sanctione poenali n), solennibusque clausulis abrogatoriis o), renunciatoriis p), et asscuratoriis q) egregie munita est. Concedit non solum suam cuique conscientiae libertatem, sed etiam plenissimam securitatem statibus vtriusque religionis tribuit, quaelibet ipsis iura confirmat, nec aliis modis, quam christiana et amicabile compositione, controuersias religionis componendas esse praecipit r).

B 3

§. X.

m) *transact. Pass. §. 11.* „Wir, sammt der Churfürsten Gesandten, erscheinenden Fürsten, und der abwesenden Bottschaften, seynd erbietig und willig, alle mögliche Förderung zu erzeigen, das in Religions Sachen kein Theil des Uoberstimmens vor dem andern zu befahren, auch Partheylichkeit ver-

hütet, und die Verwandten der A. C. am Kaiserl. Cammer - Ger nicht ausgeschlossen werden,,

n) P. R. §. 15.

o) P. R. §. 28.

p) P. R. §. 29. 30.

q) P. R. §. 15. 16. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

r) P. R. §. 15. „Damit solcher Fried auch der spaltiger Rel. hal-

§. X.

Quamquam nec transactione Passau. nec pace rel. expressis verbis inter ciues imperii diuersae religionis exacta mutuaque aequalitas stabilita sit: *virtualiter* tamen illam hisce legibus contineri et *implicite* introductam esse iusto ratiocinio sequitur. Quisquis enim religionem in republica *receptam* profitetur, iisdemque tenetur legibus, aequali iure ciuitatis et imperii gaudeat necesse est; atqui, cum transactione Passau. et pace rel. sancitum sit: *utriusque fidei affectae libero religionis exercitio fruuntor, religionis caussa nulla ex parte turbantor aut contemnuntor, sed earundem legum praesidio tuti sunt*: s) dubium non est, quin recte inferatur, omnem omnino ratione reli-

ben . . . erhalten werden möchte, so sollen die kaiserl. Maj. Wir, auch Churfürsten, Fürsten und Stände des H. Reichs, keinen Stand des Reichs von wegen der A. C. und derselbigen Lehr, Religion, und Glaubens halber, mit der That gewaltiger Weis überziehen, beschädigen, vergewaltigen, oder in andere Wege, wider sein Consciencz G. wissen und Willen von dieser A. C. Religion, Glauben, Kirchengelübden, Ordnungen und Cärimonien so sie aufgericht, oder nachmals aufrichten möchten, in ihren Fürstenthumen, Länden und Herrschaftey dringen, oder durch Mandat, oder in einiger anderer Gestalt, beschweren, oder verachten, sondern bey solch er Religion, Glauben, Kirchengelübden, Ordnungen

und Cärimonien, auch ihrer Haab, Gütern, liegend oder fahrend, Land, Leuten, Herrschaftey, Obrigkeiten und Gerechtigkeiten, ruhiglich und friedlich bleiben lassen; und soll die streitige Religion nicht anders, dann durch christliche, friedliche, freundliche Mittel und Wege, zu einhelligen christlichen Verstand und Vergleichung gebracht werden, alles bey kaiserl. und königl. Würden, fürstl. Ehren, wahren Worten und Poen des Landfriedens., add. §. 16. vbi eadem obligg. Protestantib. erga Catholicos iniunguntur nec non §§i 20. 21. 23. 29. 30.

s) v. supra §. 8. not. 1 et m. §. 9. not. r.

religionis iurium inaequalitatem virtute harum sanctionum esse reprobata. Ipse Ferdinandus, hanc pacis sententiam secutus, expresse declaravit d. XX. Sept. 1555., das wenn die Unterthanen des Religions-Friedens nicht geniessen solten, waere es nur ein halber und hincgender Friede, der das glimmende Feuer unter der Asche liegen lieffe; man haette dabey zu betrachten, das *nicht allein zwischen den hohen Staenden* sondern vielmehr unter Obrigkeit und *Unterthanen* allein aus dem Gewissens Zwang herrührenden . . . Unheil vorzukommen waere, derowegen man auf *eine allgemeine, durchgehende Gleichheit* und nichts auf Particular zu verengen, willig und geflissen seyn wolle., t). Leges igitur rectae rationis praecepta iam tum agnoscebant et probabant; at miseri mortales, diro religionis odio agitati, deteriora sequebantur. Hinc illae rixae, illi tumultus, illi furores, illa bella! Quibus postquam satis diu Germania conflictata per varios conatus salutem in pace quaesiuisset: tandem aliquando pax illa, cum Gallo Monasterii, cum Suecis Osnabrugae, a. 1648., post tantos labores consummata est, quae quatenus ciues imperii Evangelicos Catholicis exequaverit, videamus.

t) v. GRAVAMM. eccl. in Io. . . cis III, tomo I. lib. 8, p. 818.
GOTTFR. DE MEIERN *actis pa-*

 SECTIO II.

Membrum I.

§. XI.

Inter complures *speciales* dispositiones I. P. O., quae vtriusque ecclesiae confortibus aequale ius praefiniunt, quae inprimis eminent *generales*, quibus regula exactae aequalitatis continetur, videlicet §. I. art. V. et §. XXXV. eiusd. articuli, quorum *ille* de statibus imperii, *hic* vero de subditis disponit. Vterque, licet primo adspéctu clarus atque perspicuus, nihilominus tamen mirum quantum vexatus est. Quapropter, cum in eruenda germana paciscentium intentione, et in perspicienda vi cuiuscunque conuentionis, interpretem nihil magis adiuet, quam notitia eorum, quae pendente deliberatione a partibus vtrinque disputata sunt: acta huius pacis consulere, et ea, quae hisce locis aliquod lumen affundere videntur, breui oratione delibare, a re alienum haud erit.

§. XII.

Quo iure, *ante pacem W.*, vtriusque religionis confortes vicissim erga se vsi fuerint, deinde, quod *non hac primum pace A. C.* additi aequalia cum Catholicis iura obtinuerint, iam supra ex ipsis legum visceribus depromsimus. Quae vero *de iure* disputari non poterat mutua aequalitas, multis modis *ipso facto* est violata, et maxime in administranda iustitia neglecta. Qua de caussa, primas inter pacis propositiones d. 11. Iun. 1645. exhibitas, id potissimum vrgent
A. C.

A. C. additi: „*eiusmodi ineatur iustitiae ratio per omnia, ut ea in posterum, absque omni personarum rerumque respectu, unicuique, iuxta fundamentales imperii leges et constitutiones, . . . aequabiliter administretur, u*). Quod quidem a Catholicis, in responsione ad praecedentem propositionem, d. XVII. Sept. 1645. exhibita, iisdem verbis repetitum et approbatum est. x).

§. XIII.

Verum enim vero, quum hac aequalitate particulari, in administranda tantum iustitia sese exerente, ordines Evangelici sibi non satis prospectum iri mox animaduerterent; declarationi suae, graenamina religionis attingenti, d. IX. Iun. 1646. inseruerunt: *in omnibus causis, nec transactione Passau., nec pace religionis determinatis, exactam mutuamque aequalitatem obseruari debere y*). .

Sed

u) MEIERN *acta pacis W.* tom. I. lib. 5. p. 436.

x) MEIERN I. 5, 619.

y) Id. 3, 20, 61, „Der Pass. Vertrag d. a. 1552, und 1555 darauf erfolgte Rel. - Fr., wie derselbe 1556. und hernach öfters confirmirt worden, soll in seinen substantial Stücken, unter welchen der also genannte geistliche Vorbehalt keinesweges zu verstehen, ungeändert verbleiben, und was man sich jetzo in unterschiedenen Punkten verglichen, eine von beyden Theilen beliebte, bis zu endlicher Vergleichung der beyden Religionen beständige und immerwährende De-

claration des Rel. Fr. seyn: *in allen übrigen aber, worinn in diesem Vergleich nichts besonders disponirt und verordnet, soll eine solche Gleichheit zwischen den Ständen beyder Religionen gehalten werden, das keiner in Ansehung der Religion an Rechten und Würden, noch sonst in einigerley Wege, dem andern vorgezogen und ungleich geachtet werden solle: über das all dasjenige, wessen sich die Catholischen in ihren Landen gebrauchen, auch den Evangelischen in ihren Landen und Gebieten frey und unverbotten sey,*„

C

Sed *Catholici*, quod patet ex propositionibus comitis a *Trautmansdorf*, d. XX. Iun. hanc declarationem subsequutis, hunc passum simpliciter admittere recusantes, *ea tantum Evangelicis iura concedebant, quae Catholicis statibus in suis territoriiis competere* z).

Quo facto *Protestantes*, cum sentirent, aequalitatem exactam et omnimodam, quam postulauerant, callida hac Catholicorum descriptione artus limitibus circumscribi, et ad ea tantum iura restringi, quae status imperii, *vi superioritatis territorialis*, iam aliunde competentis, exercerent: in declaratione sua, d. XXV. Iul. 1646. exhibita, *postulatis suis iustissimis constanter insistebant a*).

At enimvero *Catholici*, aequissimis protestantium desideriiis, ut in aliis, ita et hic, pertinaciter reluctati, hunc passum in responsione sua *simpliciter reiciebant b*).

§. 14.

z) MEIERN, 3, 20, 187.
„Was die *Catholischen* in ihren Landen besugt, solle den *Evangelischen* auch nachgelassen seyn; und solches ratione emigrandi, reformandi, subditorum et recipendorum clericorum,„ rel.

a) A. C. addicti hac declaratione repetunt verbotenus, quae in praecedenti proposuerant (*v. not. y. hui. §i.*) exceptis paucis *mutationibus* nullius momenti, et *additamento* illo, post verba: „*nichts besonders dissoniret und verordnet.*„ — „*eine durchgehende Gleichheit, zwischen beyderseits Rel. Verwandten, gehalten wër-*

den, allermaassen solches obermeldtem Rel. Fr., u. dieser ietzigen Composition gemaes, MEIERN, 3, 20, 279.

b) „Was auch von einer *durchgehenden Gleichheit* zwischen Churfürsten, Fürsten und Ständen beyder Religion in diesem Articulo eingerichtet, solches thut *eine allzuweit aussehende Generalität und Obscurität* nach sich ziehen; zumahlen nicht wohl abzunehmen, was darunter verstanden werden wolle; derowegen solcher Passus entweder in solchen terminis zu lassen, wie er von den Herrn Kaiferlichen in denen jüngst extradirten Compositions

§. XIV.

Hucusque Catholici et Euangelici, multi in disputando, processerant, quoniam vero neutra pars de suis postulatis quicquam remittere vellet, res eo rediit, vt, abruptis immediatis vtriusque corporis tractatibus, *Euangelici* SALVII Suecorum legati officia implorarent: *Catholici* vero, omne compositionis negotium, legatis Caesareis relinquerent. Quo facto *Saluius* Euangelicorum nomine, cum *comite a TRAVTMANSDORF*, de componendis grauaminibus agere coepit, ipsique, quas conceperat propositiones, tradidit, quibus anceps illud exactae aequalitatis punctum mira cautione circumscriptum legimus. Quippe *verba generalia*, ad euitandam Catholicorum offensionem, cautus omisit; indulgit in hoc aliquid hominum genio, qui, mirum quantum verba captare, et de syllabis pugnare amat; re ipsa vero ne latum vnguem ab Euangelicorum desiderio recessit c).

Sine dubio *Saluo* illi acceptum ferre debebant Protestantes, quod Catholici tenore mox subsecutae declarationis

C 2

nis

tions-Vorschlägen gesetzt worden, nemlich, daß zwischen ein- und andern Theils Staenden *eine solche Gleichheit* solle gehalten werden, wie es dem aufgerichteten Rel. Fr. Reichs-Constitutionibus, und dieser ins künftige zu schließenden Composition gemaes feyn wird, oder, doch gänzlich auszulassen., MEIERN, 3, 21, 356.

c) Primo *transact. Passau. et pacem rei, confirmari*, deinde in arti-

culis suis controuersis hac compositione Westphal. *declarari* vult; denique pergit: *in iis etiam, quae hac transactione peculiariter declarata non sunt, seruabitur inter vtriusque religionis proceres, Electores, Principes, status omnes et singulos perenne amicitiae vinculum, exacta mutuaque aequalitas, violentia vero omni, et via facti, vt alias, ita et in religiosae pacis controuersis, vtriusque perpetuo prohibita*, MEIERN, 3, 21, 425.

nis concederent nostris in reliquis omnibus, quae nec transactione Passau. nec pace rel. decisa essent, aequalitatem mutuam, sed eatenus tantum, quatenus paci rel. conformis esset d).

Qua quidem declaratione ex parte Catholicorum exhibita, perinde ac si eo ipso quaelibet circa grauamina rel. lites essent diremtae, placuit ipsis aliud caput, satisfactionis scilicet, expendere. Veruntamen hoc consilio vnanimi Evangelicorum consensu in Senatu principum reprobato, conclusum legimus: *non, nisi sublati quibuscunque differentiis, quae in puncto grauaminum adhuc inter transigentes verterentur, reliqua compositionis capita discutere licere e*). Reassumta igitur de grauaminibus lite, Catholici tandem aliquando in conferentiis d. VII. Febr. celebratis, cedere satius, quam diutius contendere rati, Evangelicis in omnibus omnino eadem iura, quibus ipsi vterentur, concesserunt f).

Com-

d) „Erfstlich solle der Pass. Vertrag, und darauf erfolgte Rel. Fr., . . . ausgenommen dessen, so in nachgesetzten Articulen anderwärts abgehandelt, entschieden, geordnet und verglichen worden, welches alles und jedes auch für eine, von beyden Theilen bis zu endlicher Vergleichung der beyden Rel. beliebte, beständige und immerwährende Declaration angezogenen Rel. Fr. gehalten, auch in und außserhalb Rechtsens beobachtet, in allen übrigen aber eine solche Gleichheit gehalten werden, wie es vorermeldtem Rel. Fr., und dieser

jetzigen Composition gemäs seyn werde., MEIERN, 3, 22, 436. hic passus iisdem verbis repetitus in *declar. Caes.* . . . Febr. 1647. MEIERN, 4, 25 78.

e) *Id.* 3, 24, 734.

f) „ad quartam differentiam, in vocibus: *eine durchgehende Gleichheit etc.* „Die Herrn Kaiserl. Plenipotentiarii hätten vermeynet: es könnte also gelassen werden, wie sie es in ihrem Aufsatze gesetzt haetten, doch wollten sie sich endlich die vorgedachten Wörter nicht zuwieder seyn lassen. &c., MEIERN 4, 25, 36. nro. 4.

Composito igitur hoc iurgio, Euangelici, in nouissima sua declaratione d. d. XXVII. Febr. 1647., repetebant quoad hunc passum conceptum *Saluii*, g) insertis tamen post verba: „donec per Dei gratiam de religione ipsa plane conuenerit,„ sequentibus: „non attenda cuiusuis, seu Ecclesiastici seu Politici, intra vel extra imperium, interposita contradictione, seu protestatione, quae omnes inanes et nihili, vigore horum, declarantur.„ et mutatis illis *Saluii*: „in iis etiam,„ etc. prout sequitur: „in reliquis omnibus autem, inter utriusque religionis *Electores, Principes, Status omnes et singulos, fit aequalitas exacta mutuaque etc. h).*

Catholici, quod ex ipsorum responso cognoscere licet, haec verba admittentes, i) id vnice vrgebant, vt post verba, *aequalitas exacta*, omisso epitheto *mutuaque*, scriberetur: „quatenus formae reipublicae, et praesenti conuentioni conformis est, violentia omni, et via facti, vt alias, ita et hic, inter utramque partem perpetuo prohibita,„ k).

Euangelici denique, cum perspicerent, hanc limitationem intentioni suae haud aduerfari, nec hifce verbis ei, quam postulauerant, aequalitati quicquam detrahi, facile passi sunt quae adderentur; verbis tamen: *aequalitas exacta*, adiungi epitheton: *mutuaque*, et post verba: *formae reipublicae*, scribi cupiebant: *constitutionibus imperii etc. l).*

C 3

Atque

g) vid. not. c. hui. §i.

h) MEIERN, 4, 25, 89.

i) Id., 4, 25, 36. nro. 4.

k) Id., 4, 25, 118.

l) Id., 4, 25, 132.

Atque sic huius transactionis grauiſſima verba, tanto ſtudio, tantaque cautione conſtructa, communi paciſcentium conſenſu, nihilo quidem nec addito, nec demto, nec im- mutato, pragmaticae pacis ſanctioni intexta, pleniffimoque robore munita ſunt.

§. XV.

Quinimo non ſtatibus ſolum ſed ſubditis quoque A. C. ad- dictis, §. XXXV. art. 5. huius pacis, omnimoda cum Catho- licis aequalitate proſpectum eſt. Hac quidem pace, quod Euangelici recte ſemper affirmarunt, non quidem primum introducta, ſed potius, *virtualiter* ſaltem, iam pridem pace religionis ſtabilita fuerat. Quum verò haec pax in hoc prae- cipue maxime negligetur, et Catholici Noſtrates ab omni- bus illis iuribus arcerent quae ſecundum iuris pontificii dicta *haereticis* denegabantur *m)*: innumera illa exoriebantur gra- vamina *n)*, quorum fontes hac pace recludere animus erat.

Qua

m) vid. tit. tot. C. et X. de haer- eticis, add. I. H. BÖHMER *ius eccl. proteſtant.* lib. 5, tit. 7, §. 61, vol. 4. p. 888. nec non BARTHEL *de li- bertate exercitii rel. ex LL. imp.* c. 6. §. 42. *in opusculo* t. 3. p. 699.

n) „Deſſen (*des Paſſ. Vertr. u. Rel. Fr.*) ungeachtet, ſeynd die armen Evangelischen Unterthanen hin und wieder, auch an den Orten, da ſie das *Exercitium theuer erworben*, auf das allerunbarmherzigſte gedrückt und verfolgt worden, indem man ihnen nicht allein das *publicum Exercitium genommen*, ſon-

dern auch ſich deſſen *in der Nach- barſchaft* zu gebrauchen aufs ſchär- feſte *verbothen* . . . und wo nur einer, zu Beruhigung ſeines Ge- wiſſens und um mehreren Troſts Willen, etwan Predigt, Nachtmahl, Tauffe und Copulation, an Orten da das Evangelicum rein ge- lehret, und die Sacramenta nach der Richtſchnur göttl. Worts admini- ſtriret worden, geſucht, oder Evangelische Geiſtliche zu ſich er- fordern laſſen: iſt ſolches viel hö- her, als man etwa grobe verbotene Laſter anzufehen pflegt, mit gro- ſen

Qua intentione *Protestantes* edebant quaedam media compositionis, vbi inter alia exigunt: Euangelicis, qui in Catholico territorio domicilium sibi constituere vellent, nec receptionem, nec *ius ciuitatis etc.* denegandum o); multo minus ipsos ab officiis, hereditatibus, communitatibus etc. p) arce-
 cendos, sed *patri* cum conciuibus Catholicis *iure* habendos esse.

Catholici vero mense Mart. declarabant: se nunquam concessuros neque admissuros esse, vt subditi Euangelici statuum Catholicorum aequali cum subditis suae religionis iure fruerentur. Quemlibet, qui domini territorialis religionem

ac

sen unerträglichen Geldbußen, oder langwierigem Gefängnis gestraft worden . . . zu geschweigen der Verachtung, daß männlich sie scheuet, ja wohl gar, wenn sie als Zeugen angegeben werden, als infame zu rejciren sich unterwindet. Zu keinem Ehrenamt werden sie zugelassen, bey vorgehenden Lehns Veränderungen wollen ihnen die Beleihungen ohnvorabgelegten iuramento Religionis, nicht wiederfahren, ingleichen auch den Lehrlungen, weder Geburts, noch Lehrbriefe, abgefolget werden; ja sogar verhasset sind sie, daß auch die christl. Sepultur . . . nach ihrem Tode verlagt wird, andere unzählige grausame Pressuren zu geschweigen, MEIERN I, 8. 819.

o) Wenn ein Euangelischer in Catholischen Landen sich setzen will, soll ihm die Belehnung, Bürgerrecht

und Reception, nicht verweigert, noch der Euangel. Rel. zuwider lauffende, oder in andere Wege praejudicirliche iuramenta und Reuerse, angemuthet, oder sonst bey einem andern der Catholischer Relist, nicht begehret wird., Id. 2, 15, 570.

p) „Die Evangelische Unterthanen, jetzige und künftige, es mögen ihre Eltern geist- oder weltlichen Standes gewesen seyn, müssen von ihren Aemtern, Gemein-schafften, Zünften, Erbschafften, Legatis, Pfründen, noch von einiger Gerechtigkeit, wie auch Gewatterschafften, nicht ausgeschlossen oder in einige Wege verächtlich gehalten; am allerwenigsten ihre abgestorbene Leichnam der Sepultur auf Gottesäckern beraubt, sondern durchaus den Catholicis gleich traktiret werden., MEIERN, 2, 15, 570.

ac iussa sperneret, recte a territorii limitibus arceri, et ad emigrandum summo iure compelli q).

Nihilominus tamen *A. C.* additi petita sua aequissima, in mediis suis vltioribus d. XIV. April. 1646., proferebantur, cum addito: *se subditis suis Catholicis eadem iura concessuros r*). Repetebant quoque, in vltima sua declaratione d. XI. Iun. promulgata s), quae iam mense Febr. postulauerant, denique exigebant: *neminem, propter religionem Euangelicam, compellendum esse ad emigrandum, nec cuiquam natiuitatis, libertatis, cogniti opificii testimonia denegari oportere t*).

Catholici vero eodem mense insisterant pertinaciter memoratis propositionibus, ac id praecipue urgebant: *arbitrio principis relinquendum esse, subditum diuersae religionis tolerare, an expellere malit u*).

Quae summa Catholicorum pertinacia effecit, vt *A. C.* status in eo saltem aliquid ipsis concederent: arbitrio scilicet dominorum territorii relinquendo, novos diuersae religionis suscipere ciues, aut repellere x). Praeterea id quoque indulgebant, non necessario ciues diuersae religionis ad honores admittendos esse, sed stare penes territorii dominum, quid hac de re decernere velit: in reliquis vero eo firmiter perseverabant y).

§. XVI.

q) MEIERN I. c. tom. 2, lib. 15, p. 582. — 3, 20, 196. nro. 13.
r) Id. 3, 20, 160.
s) Id. ib.

t) ib.
u) Id. 3, 20, 196. nro. 13.
x) Id. 3, 20, 283. nro. 14.
y) — „Insgemein sollen die

§. XVI.

Haec animorum obstinacia effecit, vt abhinc diu multumque disputaretur, nec, quoad hoc punctum, conciliatio prius obtineri posset, quam anno demum sequenti. Longum nimis videtur, cunctas hasce altercationes persequi, praesertim, cum vix ac ne vix quidem, quod alicuius momenti sit, quicquam contineant, quod non iam antea fuerit excussum, et, si quid iudico, nihil fere, quod huic loco maius lumen affundere possit. Qua de causa, indicatis tantum iis locis, quibus de argumento (si XXXV. pluribus tractatum est *z*), trans-eamus ad *proiectum latinum* d. XIV. April. per plenipotentiariorum Caes. editum, vbi statuum Catholicorum subditis Evangelicis, qui a. 1624., nullo pacto, sed sola conuiuentia, usum et exercitium A. C. habuerint, promissa est in eundem statum restitutio; illis contra, qui dicto anno A. C. exercitium non obtinuerint, tolerantia, cum plena libertate siue remanendi, siue, retentis vel alienatis bonis, emigrandi, quod aequè ab Evangelicis statibus reciproce obseruandum esse placuit *a*).

Hanc

Unterthanen sie seyn Evangelisch oder Catholisch, keinesweges verächtlich gehalten, ihnen auch die Gemeinshäften, Zünften, Erbschäften, Legata, Spitalen, Siechenhaeuser, Almosen, Pfründen, und andere iura und Sachen, weniger die Christl. Sepultur, noch die freye ungeschätzte Abfolgung der ihrigen verstorbenen Leichnam, durchaus nicht verwehret, ihnen auch sonst gleiches Recht und Schutz administrirt und gehalten, nicht

aber allerhand Mittel und Beschwerden erdacht und erfunden werden, der Catholischen oder Evangel. Unterthanen zugethane per indirectum auszudringen und also zu fassen, das sie endlichen aussterben müssen., Id. 3, 21, 358. nro. 15.

z) MEIERNTom. 3 l. 21. p. 419. 431. 439. Id. tom. 4. lib. 25. p. 14. 25. 61. 80. 96. 106. 125. 145. 186. 198. 200. tom. 4. lib. 29. p. 510, 521. 541. 545.

a) Id. 4, 25, 180.

D

Hanc propositionem sequebatur *declaratio Evangelicor.* eod. die IV. April. concepta, qua neutiquam in eo, quod Catholici modo concesserant, acquiescunt, sed illud praeterea exigunt: „*Sive Catholici, sive Evangelici fuerint subditi, nullibi ob religionem despiciantur, nec a mercatorum, tribuum communiione, hereditatibus, legatis, hospitalibus, leproforiis, praebendis, elemosynis, aliisque iuribus et commerciis, multo minus publicis coemeteriis, honoreque sepulturae, arceantur: . . . sed in his et similibus pari cum conciuibus iure habeantur, aequali iustitia protectioneque tuti, b).*

Quo facto inferebant denique Caesarei, suae propositioni in puncto grauaminum d. XXX. April. ei. anni, hunc passum, iisdem plane vocibus; omissa tantum post verba: *hereditatibus, leproforiis*, vocula: *praebendis c)*; et ita singula haec verba instrumento pacis inserta reperimus.

Membrum II.

§. XVII.

Leges, quibus iam *ante pacem W.* exacta aequalitas inter vtriusque religionis consortes stabilita fuerat, supra exposuimus *d)*. Clarius loquitur *pax W.*, non solum de *statibus*, sed aequè de *subditis*, multis dispositionibus, tam *generalibus*, quam *specialibus*, suum cuique aequa lance appendens. De *statibus* ita *generatim* decernit §. I. art. V.

„*Trans-*

b) MEIERN 4, 25, 200,
c) ID. 4, 29, 516.

d) v. supra §. 8, not. a., b., et
§. 9, not. g.

„*Transactio anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Passaui inita, et hanc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto secuta pax religionis, prout ea anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Augustae Vindelicorum, et post in diuersis S. R. I. comitiis vniuersalibus confirmata fuit, in omnibus suis capitulis, vnanimi Imperatoris, Electorum, Principum et statuum vtriusque religionis consensu initis ac conclusis, rata habeatur, sancteque et inuiolabiliter seruetur.*„

„*Quae vero de nonnullis in ea articulis controuersis hac transactione communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictae pacis declaratione, tam in iudiciis, quam alibi, observanda habebuntur, non attenda cuiusuis, seu Ecclesiastici, seu Politici, intra, vel extra imperium, interposita contradictione vel protestatione, quae omnes inanes et nihili, vigore horum, declarantur. IN RELIQUIS OMNIBVS AVTEM, SIT INTER VTRIVSQUE RELIGIONIS ELECTORES, PRINCIPES, STATVS, AEQUALITAS EXACTA MVTVAQVE, QVATENVS FORMAE REIPVBLICAE, CONSTITVTIONIBVS IMPERII, ET PRAESENTI CONVENTIONI CONFORMIS EST, ITA, VT QVOD VNI PARTI IVSTVM EST, ALTERI QVOQVE SIT IVSTVM, VIOLENTIA OMNI, ET VIA FACTI, VT ALIAS, ITA ET HIC, PÆRPETVO PROHIBITA.*„

Quoad subditos generaliter disponit §. XXXV. eiusd. art.

„*Sive autem Catholici, sive A. C. fuerint SVBDITI, nullibi ob religionem despiciatui habeantur, nec a mercatorum, opificum, ac tribuum communionem, hereditatibus, legatis, hospitali-*

talibus, leproforiis, eleemosynis, aliisque iuribus aut commerciis, multo minus publicis coemeteriis, honoreue sepulturae, arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris a superstitibus exigatur, praeter cuiusque parochialis ecclesiae iura, pro demortuis pendi solita, sed IN HIS ET SIMILIBVS PARI CVM CONCIVIBVS IVRE HABEANTVR, AEQUALI IVSTITIA PROTECTIONE-QVE TVTI,,.

§. XVIII.

Praeterea vero legibus hisce generalibus complures superadditae sunt *speciales* dispositiones, quibus iura Evangelicorum et Catholicorum, in casibus peculiaribus, seorsum definiuntur, quae omnes ac singulae in tres classes describi possunt. *Prima* continet singulas illas dispositiones, quibus difertis verbis, *utriusque* ecclesiae membris, in casu speciali, aequalia iura praefiniuntur; *secundae* sanctiones illas adscribo, quibus tantum *alterutrius* religionis partis mentio fit, eique iura assignantur, quorum communionem altera neque prohibetur, neque expressis verbis ad illam vocatur; in *tertiam* denique colloco singulas *exceptiones* a regula exactae aequalitatis generali, quarum summa capita hic attingere iuvat.

§. XIX.

Dispositiones *primae classis*, vel ad status solos, vel ad mediatos tantummodo, vel ad status et subditos simul spectant.

De *statibus solis* cautum: vt bona ecclesiastica immediata, cuiuscunque generis, quae d. I. Ian. 1624. possederunt,
in

in perpetuum vtrinque retinerent *e*), ita quoque bona ecclesiastica mediata *f*), nec non redditus, census, decimas, aliaque emolumenta *g*), vna cum omni iure in bonis ecclesiasticis rite quaesito *h*). Caeterum, ius reformandi, omniaque alia iura, quae ipsis ratione territorii et superioritatis competunt, vi §i. XXX. art. V. impediri nefas. Denique, par ex vtraque religione assessorum numerus adhiberi debet, *primo*, quando caussa inter Catholicos et A. C. addictos status vertitur; *secundo*, quando inter solos ordines Euangelicos; *tertio* cum Catholicis contra Catholicos status litigantibus *tertius* interueniens A. C. status fuerit; et *quarto*, quando, in lite Euangelicorum inter se, Catholicus interuenerit *i*).

Mediatis solis vtriusque religionis aequali iure pacifcentes prospexerunt, in exercitio religionis, ita quidem, vt, quatenus anno normali *publico* siue *privato* gauisi fuerint, illud vtrinque *retinerent*, annihilatis omnibus, de religione pactis et transactionibus, obseruantiae huius anni aduersis; qui vero a. 1624. *neque publicum, neque priuatum* religionis exercitium habuerint, vtrinque *tolerari deberent k*), nec prohiberentur, conscientia libera, domi deuotioni suae, sine inquisitione aut tur-

D 3

batio-

e) I. P. O. art. 5. §. 14.

f) I. P. O. §. 25. 26. art. 5.

g) lb. §. 45. 46. art. 5.

h) lb. §. 46. art. 5.

i) lb. §. 54. art. 5.

k) I. P. O. §. 34. art. 5. §o. 36. art. 5. vero imperanti facultas datur, subditis diuersae religionis emigrationem iniungendi. Qui qui-

dem §. huic repugnare videtur, Sed minime sibi repugnant. Alter nimirum explicandus est, de iuribus subditorum, *qui in loco remanent*, nec sponte, vel iussu domini, solum vertunt: alter vero, de iuribus et obligationibus subditorum *sponte seu necessitate abeuntium*.

batione, priuatim vacare, in vicinia vero, vbi et quoties vo-
luerint, publico religionis exercitio interesse, vel liberos suos
exteris suae religionis scholis, aut priuatis domi praecepto-
ribus instituendos committere l).

Denique, vt status, et per consequens subditi quoque,
tuti essent aduersus maiora Catholicorum, speciatim cautum
est, vt paritas obseruaretur: in *praesidibus et assessoribus came-
rae m)*; in iudicantibus, etiam vbi causae politicae inter
vtriusque religionis partes ventilarentur, et quidem, non in
camera solum, verum etiam in *consilio imperiali aulico n)*,
vbi in supplicationibus par consiliariorum ex vtraque religio-
ne numerus requiritur, liberumque est Caesariae maiestati,
in *caussis maioribus*, et vnde tumultus in imperio timeri possent,
insuper etiam quorundam, vtriusque religionis Electorum
Principumque sententias et vota requirere o). Ob eandem
rationem statutum est: vt in *conuentibus deputatorum imperii
ordinariis*, itemque *comitiis vniuersalibus*, siue ex vno, siue duo-
bus aut tribus imperii collegiis, quacumque occasione, aut ad
quaecumque negotia, deputandi venerint, numerus ex vtrius-
que religionis proceribus aequaretur p). Vbi vero negotia
ab *extraordinariis commissionibus* expedienda occurrerent, ni-
mirum, si res inter A. C. status verteretur, soli eidem reli-
gioni addicti deputarentur; si inter Catholicos, soli Catho-
lici, si inter Catholicos et A. C. status, vtriusque religionis
pari

l) Ib. §. 34. art. 5.

m) I. P. O. §. 53. art. 5.

n) Ib. §. 54. art. 5.

o) Ib. §. 55. art. 5.

p) Ib. §. 51. art. 5. add. *cap. no-
viss.* art. 12, §. 6.

pari numero commissarii denominarentur q). Denique cautum est, vt in omnibus *caussis religionis*, omnibusque *aliis negotiis*, vbi status tanquam vnum corpus considerari non possunt, vt etiam Catholicis et A. C. statibus *in duas partes euntibus*, sola amicabile composicio lites dirimeret, non attenda votorum pluralitate r). Pariter quoque dispositum est, vt in *politicis caussis*, vbi contrariae essent sententiae, Catholicis quidem in vnam, A. C. vero addictis assessoribus in aliam abeuntibus, nihil ageretur, sed ad comitia remitti deberet caussa s).

§. XX.

Haec fere sunt dispositiones illae, quibus vtriusque ecclesiae membris, in casibus *specialibus*, aequalia iura, *disertis verbis* praefiniuntur: nunc indigitabimus illas, quibus *vnus tantum* religionis partis mentio fit, altera nec exclusa, nec expresse nominata. Sic §. XVI. pacis rel. tantummodo de redditibus, decimis, censibus statuum Catholicorum disponit, et §. XVIII. eiusdem pacis, occasione referuati ecclesiastici, Catholicorum tantum mentionem iniicit; sicut aequè §. XXI. prouisionem ministeriorum e redditibus ecclesiasticis solis Catholicis iniungit. Vbi vero pax religionis quoad redditus Catholicis tantum expresse prospexerat: ita pax W. exprimit tantum, quid iustum sit circa redditus, qui A. C. statibus, ratione foundationum iam destructarum et collapsarum, nec non ratione earum quae in futurum concident, ex alienis territoriis

q) I. P. O. §. 51. art. 5.
r) lb. §. 52. art. 5.

s) I. P. O. §. 56. art. 5.



riis debentur t). Pariter de solis Protestantibus loquitur §, LVI. art. V., qui vult, vt ex numero pares adhibeantur iudices, si inter mediatos vel actor, vel reus, vel tertius interueniens A. C. paritatem iudicantium postulauerit; sicuti quoque Protestantibus, si verba spectaueris, magis prospicitur §o IX. art. V., qui tantum de eo casu, quoad sensum verborum grammaticum, loquitur: *si Catholici pluralitate votorum in praedictum A. C. addictorum abutantur, non expresse definiens, quid iustum sit, si idem ab Evangelicis fiat.*

§. XXI.

Restant dispositiones *tertiaae classis*, exceptiones scilicet a regula; quae partim *explicite* in I. P. O. fundatae sunt, partim *implicite* sub clausulis dispositioni generali §i I. art. V. adiectis, continentur. Exordior ab illis, quae formaliter, expressis quidem verbis, regulam circumscribunt, cuiusmodi sunt:

I. Annus et dies *decretorius*, quibus non aequalitatis, sed folius facti possessorii ratio habita est u).

II. *Secularisatio* foundationum ecclesiasticarum, earum solummodo, quae in diuisione bonorum ecclesiasticorum Euan-
gelicis obtigerant x).

III.

t) Ib §. 47. art. 5. *posito* §. 14. 15. 30. 31. 32.
u) §. 2. 14. 15. &c. art. 5. I. P. x) Qua de re Evangelici, aequio-
V. cf. *Io. Car. VON DER BECKE* res, in aliis causis conditiones, ex-
V. C. *disi.* de die decretorio *pace IV.* poscunt, v. *MEIERN* 4, 33. 889.
cf.

III. Peculiaris *titulus*, nec non *scammum transfuersum* Episcoporum protestantium, quippe quae tamen, non tam *inurium* inaequalitatem, sed tantum diuersitatem in *caerimonialibus* inuoluunt *v*).

IV. In eo potius aliqua inaequalitas conspicitur, quod pro *infeudatione*, ultra taxae ordinariae summam, insuper eius dimidium pendere tenentur *x*).

V. Quoad *numerum* a regula paullulum desleclitur, So. LIII. art. V., vi cuius, Catholico Imperatore existente, Catholici XXVI., Euangelici vero XXIV. assessores ad iudicium camerae imperialis praesentare possunt.

VI. Protestantes sunt aliquando melioris conditionis, ceu constat ex §§is XIX et XXI. articuli V. Nimirum praelati Euangelici immediati non indigent nec confirmatione, nec admissione, neque tam adstrictae sunt conditionis, uti praelati Catholici.

VII. Deinde protestantes imp. status in caussis ecclesiasticis nullum agnoscunt superiorem quin etiam ius dioecesanum et iurisdictionem eccles., cum omnibus suis speciebus in Euangelicos suspensa sit. *y*).

§. XXII.

cf. index fundatt. ad *Euangelicos* translatar. (ap. EVND. 3, 20, 170.) cum *secularisationibus*, quas auctoritate articuloꝝ, 10, 11, 12, 15,

subierunt.

v) I. P. O. §. 22. art. 5.

x) I. P. O. §. 21. art. 5.

y) I. P. O. §. 48. art. 5.

E

§. XXII.

Dinumeratis illis exceptionibus quae *explicite* I. P. O. insertae sunt, progredior ad eas, quae *sub clausulis* §i I. Art. V. latent, quarum prima aequalitatem ita limitat, *quatenus formae reipublicae conformis est*. Equidem terminum, *forma reipublicae*, in sensu improprio, licet alias non plane inusitato, hic adhiberi certum est, si formulas rerumpublicarum, Politicorum more, ex qualitate subiecti, cui summa rerum delata est, distinguamus et denominemus. Hoc nimirum sensu, religioni nil esse potest cum forma imperii nostri. Siquidem nullibi dignitatem Imperatoris ad alterutram religionem adstrictam reperiamus *a)*. Quocirca termino, *forma reipublicae*, indigitari mihi quidem videtur, *nexus inter imperatorem et status*, et complexus iurium et obligationum erga se inuicem, quae inde resultant. Quibus notionibus, quum idea formae reipublicae magis determinetur, et tanquam species a suo genere distinguatur, eo minus ambigo, hunc sensum clausulae esse genuinum atque germanum. Qua de causa vim eius in hoc positam esse arbitror:

I., Vt, propter exactam aequalitatem, numerus statuum Catholicorum, non exaequari debeat numero ordinum imperii Euangelicorum *b)*. Hinc igitur solido fundamento innititur

a) vid. infra §. XLII.

b) ita HENNIGES adh. l. „Quae fit apud nos forma reipublicae et quo nomine appellanda diuersimode hactenus disputatum est. Sed qua-

lis illa tandem fuerit dicere in genere et summatim possumus, esse talem, quae omnium statuum *exaequationem* in Republica non admittat.,

tur inaequalitas illa, in *dispari numero statuum* imperii Euangelicorum et Catholicorum non solum conspicua, verum etiam in *suffragiis comitialibus*, vbi Euangelici, Episcopo Osna-brugensi Catholico existente, XII. inferiores sunt — sed, quod probe notandum, *numero scilicet, non pondere.*

II. Vt iura *specialia*, honores, priuilegia, siue Catholicis siue Euangelicis statibus, intuitu nexus illius cum vniuerso imperio, lege, pacto, seu obseruantia quaesita, *quatenus securitati alterutrius religionis non aduersantur*, aequalitatis ergo communia fieri non oporteat.

§. XXIII.

Ad secundam transeamus clausulam, *quatenus constitutionibus imperii conformis* est. Nimirum hisce, cum Caesari, tum statibus, sua cuique iura definita et assignata sunt. His innituntur, praerogatiuae Electorum, priuilegia singulorum Principum, immunitates immediatae nobilitatis. Quae quidem *singulorum iura*, hac clausula custodiuntur, et aliquando exceptionem a regula, quae tamen, in plerisque casibus, *et hoc respectu*, confirmatur, inuoluere possunt. Cuiusmodi *exceptiones* reperio v. c.: In *voto supernumerario* quod Electores Catholici sibi stipulati sunt in euentum imminuti Electorum Catholicorum numeri c); in *directo-*

E 2

rio

c) cf. *Reichsgutachten* d. d. 30. tom. 4. p. 226. et ap. SCHMAVSS Iun. 1708. in der N. S. der R. AA. *corp. iur. publ.* p. 1134.

ria collegii *Electorum* quod *Moguntino* soli competit; ita quoque in *directorio* collegii *Principum*, quo duo *Catholici*, *Austriacus* videlicet, et *Salisburgensis*, funguntur; nec non in numero inaequali consiliariorum imp. aulicorum. rel. Plura non addo; neque enim opus esse arbitror singulas huius generis dispositiones figillatim recensere, quippe quae, in apri-co positae, ab omni ambiguitate et impugnatione immunes sunt. Nec opus est adiciere plura de clausula postrema: *quatenus huic conuentioni conformis est*, utpote quam §o XXI. iam illustrauimus.

SECTIO III.

§. XXIV.

Intuenti acta et commentarios legatorum, praesertim ea, quae sectione praecedenti ex iis excerptimus, in hoc omnium consiliorum summam positam fuisse apparebit, ut inter vtriusque religionis status imperii primum *pax et tranquillitas publica* restauraretur, vnicuique *liberum* esset, quae *vellet alterutrius ecclesiae sacra amplecti*; deinde, ut *par esset vtriusque ecclesiae affectarum conditio, status, existimatio, ius ciuitatis et imperii d)*. Hoc fuit aequissimum desiderium Euan-geli-

d) Vix opus esse videtur, verbo monere, *Reformatos* sub his duabus religionibus, quae aequali imperii iure fruuntur, comprehendere. In sensu iuris publici duas tantum

religiones in imperio receptas esse constat; *Catholicam* scilicet et *Evan-gelicam*. Pax W., ceteraque leges imperii, de duabus semper loquuntur, quare hosce terminos custodire, quam

gelicae religioni addictorum, statim ab ipsis secessionis primordiis, huic desiderio aliquoties, iam ante pacem W., promissionibus quidem, sed re ipsa raro satisfactum esse, rerum gestarum memoria abunde probat. Qua de causa *Euangelici* in congressu Osnabrugensi id maxime agebant, vt, quae imperii sanctionibus implicite et *virtualiter* iam stabilita fuerat, mutua aequalitas, disertis verbis, et quidem verbis generalibus, clarissimis et grauissimis *formaliter* inculcaretur, vt, velut palladio, aduersus [quascunque fraudes ac tergiversationes] munita, tandem aliquando intemerata et inconcussa stare possit. Sed quot ipsis superandae fuerint difficultates, priusquam ad eum finem peruenire potuerint, ea satis testantur, quae supra ex actis commemorauimus. Catholici nihil magis perhorrescebant, quam exactam illam et omnimodam aequalitatem, quare mirum non est, quod tam lento gradu ad concordiam processerint, *primum* aequalia tantum iura in *administratione iustitiae* concedentes e); *deinde* eadem iura, quae statibus Catholicis in suis territoriis [competere] f); *tum* paritatem iurium, *quatenus* paci rel., constitutionibus imperii, et ineundae paci W. non repugnarent g); *postea* aequalia iura in iis, quae nec *transactione Passau.*, nec *paxe rel. decisa* essent,

E 3

cate-

quam cum aliis *tres* religiones receptas perhibere, rectius duco. Interim So I. art. VII. I. P. O. legitur: „Vnanimi Caesareae majest., omniumque ordinum imperii consensu placuit, vt quicquid iuris aut beneficii, cum omnes aliae constitutiones imperii, tum pax religionis et publica haec transactio, in

eaque decisio grauaminum, caeteris Catholicis et A. C. addictis statibus et subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos *Reformati* vocantur, competere debeat &c.“

e) v. supra §. 12. u.

f) §. 13. z.

g) §. 13. a. et b.

eatenus tamen, quatenus cum pace rel. et cum pace futura conspirarent *h*). Sed quum in omnibus hisce A. C. status minime acquiescerent, aequalitatem *exactam et omnimodam* constanter flagitantes: conuicti demum Catholici, alio pacto pacem haberi non posse, *in omnibus* sese protestantium desideriiis accommodauerunt *i*).

Quod vero ad iura *subditorum* Evangelicae religionis in specie attinet, hoc erat in votis, vt *pari cum conciuibus catholicis iure* haberentur, aequali iustitia et protectione tuti; ita nimirum, vt Evangelici qui in territorio Catholico domicilium sibi constituere vellent, non recipi solum, verum etiam omni ciuitatis iure perfrui deberent *k*). In vtroque Catholicos difficillimos fuisse iam vidimus, et quamuis quoad alterum desiderium nimia durities recte iis exprobretur: vitio tamen hoc ipsis absque iniuria verti non potest, quod onus illud, nouos diuersae religionis ciues recipiendi ac fouendi, pertinaciter detrectauerint. Sed cedebant quoque *in illo*, recusabant tantummodo *hoc l*); quod quum Protestantes ipsis indulgerent, sequebatur demum conciliatio, *mutuoque consensu*, ab omnibus vitiis immuni, definita sunt *iura subditorum regula generali* §i XXXV., cui superadditae sunt illae dispositiones, quarum argumenta supra attigimus *m*).

§. XXV.

h) §. 14. d).*i*) §. 14. f).*k*) §. 15. o).*l*) §. 15. u. *add.* §. 16. e.*m*) §. 19.

§. XXV.

Apparet igitur ex actis, quae hanc pacem praecefferunt, *intentionem* A. C. addictorum eo semper directam fuisse, ut stabilita aequalitate exacta et omnimoda fons discordiarum penitus recluderetur. Cui quippe intentioni *mentem* §§. I. et XXXV. art. V. ad amissim respondere non minus in aprico positum est. Quis enim est, qui non animaduertat, sibi met ipsis contradixisse paciscentes, qui asserunt: de grauaminibus, quae huic bello causam dederint, conuentum et transactum esse *n*), si aequalitatem ad certa tantum iura, vtrique ecclesiae communia, restrinxissent. Quam alieni vero fuerint ab hoc consilio satis superque probatur verbis, quae declarationi suae, grauamina religionis attingenti, d. IX. Iun. 1646. inseruerunt *o*). Huc accedit, quod verba vtriusque §i. generaliter concepta sint: *IN OMNIBVS sit aequalitas exacta mutuaque . . . ita vt quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum.* — Sive *Catholici*, siue *A. C.* fuerint *subditi*, *NULLIBI* ob religionem despiciatui habeantur . . . *pari* cum conciuibus *iure* fruantur, *aequali*, *iustitia* *protectione*que tuti. Nihil hic ambigui, nihil otiosi, omnia sunt ita determinata, et declaratione emphatica contra omnes caullationes ita munita, ut impossibile videatur, alium sensum ex verbis istis extorquere. Valet itaque hic praeceptum, quod *ECKHARDVS* inter interpretationis regulas primo loco ponit: "*Si verba legis eum recipiunt sensum, quem in commentariis actorum siue protocollis, declarationibus et aliis eius generis scriptis*

n) *prooem*, art. 5. I. P. O.

o) §. 13. 3.

ptis publicis expressum deprehendimus, is pro vero et genuino tenendus est." p)

§. XXVI.

Ipsi quoque paciscentes distincte descriperunt naturam aequalitatis illius generalis variis determinationibus, prudenti consilio ipsi legi intextis. Primo edicunt: *transactio Passaui inita, et pax rel., sancte et inuiolabiliter seruentur.* Lex itaque nostra, licet generalis et posterior, non mutat illa, quae his constitutionibus iure speciali disposita sunt q). *In reliquis omnibus, i. e. in illis, de quibus hae sanctiones non aliter disponunt, sit exacta aequalitas;* hae vero imperii leges, si referuatum ecclesiasticum exceperis, vndique fouent aequalitatem, vt supra demonstratum est r). Addunt deinde pacis architecti: *quatenus formae reipublicae conformis est: nexus igitur inter imperatorem et status non immutatur; formula regiminis et totius reipublicae manet eadem, quae fuerat ante exorta religionis dissidia.* Praeterea *constitutiones imperii* quascunque confirmant: salua igitur seruantur singulis statibus, quae legibus imperii iura ac priuilegia iusto legitimoque modo obtinuerunt, quod expressis verbis denuo inculcatum legimus §o. I. art. VIII. "Omnes et singuli Electores, Principes, et Status imperii Romani, in antiquis suis iuribus, praerogatiuis, libertate, priuilegiis, libero iuris territorialis, tam in ecclesiasticis, quam politicis, exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium possessione stabiliti firmitaque funto., et §. IV. eiusd. art. „omnes laudabiles consuetudines, et S. R. I. constitutiones, et leges fundamentales,

in po-

p) *hermeneutica iuris* lib. 2. c. 2.
§. 84. P. m. 819. ex edit. WAL-
CHII 1779.

q) L. 26. 28. de LL.
r) §. 10.

inposterum religioſe ſeruentur., In ſpecie quoad Principes eccleſiaſticos A. C. addiſtos cauetur §. XXI. art. V. vt., ad vniuerſales aëque ac particulares deputationum, viſitationum, reuifionum, alioſque conuentus imperiales, litteris ſolitis euocentur, et ſuffragii iure fruantur, *prout quiſque ſtatuum ante religionis diſſidia eorum iurium particeps fuit.*, Ex quibus omnibus eo magis apparet, religionem nemini aliquid iure detraxiſſe, neminem auxiſſe; ideoque tantum abeſt, vt his clauſulis ſit reſtriſta illa inter vtriuſque religionis ſtatus aequalitas, vt potius eo firmiori praefidio communita ſit. Etenim religionum ſeiunctione nondum ſequuta, omnis inter S. R. I. ciues ratione religionis iurium diſproportio per rei naturam cogitari nequibat: atqui, quum, non obſtante religionum ſubſequuto diuortio, cuilibet ſtatuum vtriuſque religionis, priſca ſua iura qualiacunque, virtute pacis W. confirmata ſint: vel ex eo iam conſequitur; ad hunc vsque diem, et in perpetuum, quamlibet ratione religionis iurium diſparitatem exulare, ſtatibusque hoc reſpectu religionem eſſe reuera *ἀδισαφορον* quid ſ). Reſtat poſtrema clauſula: „*quatenus huic conuentioni conformis eſt, qua pacis* con-

ſ) Hoc ne quidem Renmus abbas Io. BAPT. KRAVSS — negare auſus eſt, ſcribens: „Die Proteſtantiſchen Reichsſtände haben mit den Catholiſchen aequalia iura, als Ritände: der Proteſtantiſche Ritand, hat alſo ein gleiches Recht mit dem Catholiſchen, nicht wegen der Proteſt. Religion, ſondern weil derſelbe ein Ritand; wegen der Pro-

teſt. Religion aber kann er ſeiner iurium aequalium cum aliis ſtatibus nicht verluſtiget werden., v. gründliche Antwort auf die Eimeißelſ. wider den Hauptſatz daß ein vorher Proteſtantiſcher hernach zur Catholiſchen Rel. übertretender Ritand das öffentliche Rel. Exercitium ſeiner Untertanen reformiren könne. (Augſp. 1758.) p. 138.

F

conditores hoc praecipiant, vt regula generalis §Sor. I. et XXXV. non valeat in casibus speciatiim exceptis; vnde vero recte concluditur: in omnibus illis, qui non speciatiim excepti sunt, eam tanto certius obtinere, propter tritum illud: *exceptio in casibus non exceptis firmat regulam.*

§. XXVII.

Cognito consilio et voluntate paciscentium, et explicata mente §I. I., transeamus ad Sum XXXV. quo subditis quoque bene consultum est. Cuius siquidem sensus, quum nulla difficultate prematur: illud modo monemus, verba illa, *„nec a mercatorum, opificum aut tribuum communione arceantur,* opitulari praecipue illis, qui socii opificum (*Gesellen*) vocantur. Illi pari tribuum iure cum sociis alterius religionis vbique participes esse debent. Hoc inuoluunt verba §I generalia, non solum de iis locis intelligenda, vbi anno normali publicum vel priuatum religionis exercitium habuerunt vtriusque religionis consortes; sed de illis quoque, vbi vtroque desituti fuerunt *t*). Quod vero ad ipsos opificiorum magistros (*Handwerks-Meister*) attinet, circa illos omnino distinguendum, vtrum suae religionis consortes a. 1624. publico siue priuato religionis exercitio, vel neutro plane gauisi fuerint. *Priori casu*, aequali cum conciuibus diuersae religionis iure, et in tribuum communione, fruuntur: *posteriori vero*, dominus territorii non obligatus est, ad recipiendos novos ciues magistrisque diuersae religionis *u*).

In

t) HENNIGES meditt. ad I. P. W. art. 5. §. 35. not. c.
u) consul. perill. PÜTTERI sponsi, die „Zulassung Cathol. Bürger und Meister in Euangel. Rädten betreff. in Rechtsfällen tom. 2. parte 3. n. 223. p. 692. 199.

In genere vero hoc §o. cautum est: „*Sive Catholici, sive A. C. fuerint subditi, nullibi ob religionem despiciatui habeantur.*„ Nil ergo refert, siue Euangelici subditi sub imperio status Catholici uiuant, siue Catholici in Protestantium ditionibus degant. Vtrinque enim, non patienter modo tolerandi sunt, sed nulla plane ipsis creanda molestia. Aduersus omnem iniuriam, omnem contemptum, omneque periculum oportet illos tueri ac securos praestare. Inde sequitur, abstinendum esse ab omnibus istis appellationibus *Romanistarum, Idololatorum, Papistarum, Sacramentariorum, Calvinistarum, Zwinglianorum, Neotericorum* et quae sunt huius generis alia nomina, in contumeliam vtriusque partis olim iactata. Sed omittenda non modo omnis verborum asperitas, verum etiam mansuetudo, lenitas ac tolerantia factis ipsis conspicua esse debent, idque eo magis, quum membra simus unius eiusdemque corporis, quum vna omnes eadem lege naturae non solum, sed eodem adeo ciuitatis et imperii iure confineamur, quos duces, communibus mutuisque vtilitatibus inseruendo, sequamur. Quantulum enim est, iis non nocere, quibus debeamus prodesse! Plura non addo; iam illucescunt laetiora tempora,

Iam noua progenies caelo demittitur alto.

§. XXVIII.

Haec *intentionem* paciscentium, et *mentem* ipsarum dispositionum, quae aequalitatis illius, quam describimus, basin constituunt, hac sectione exponere tentauimus. Nunc, vt nihil temere praetermittamus, quod ad eo melius perspici-

ciendam vim et potestatem harum dispositionum aliquid conferre et ad applicationem recte faciendam viam sternere possit: reliquum est, vt *rationem* earum dispositionum inuestigemus, quibus iura vtriusque religionis consortium definita sunt, Quae, etsi a legum auctoribus non raro omitti soleat: eam tamen iis sanctionibus, quae huius libelli vtramque faciunt paginam, prooemio articuli V. praemissam legimus hisce verbis: „*Cum praesenti bello magnam partem grauamina, quae inter vtriusque religionis Electores, Principes et Status imperii vertebantur, causam et occasionem dederint, de iis . . . conuentum et transcriptum est.*” Quenam haec fuerint grauamina, quarum hic mentio iniicitur, patet tum ex actis pacis W., quae sectione praecedenti pro scopo nostro excerpimus, tum quoque ex pluribus locis ipsius instrumenti. Scaturiunt omnia fere ex communi fonte, qui fuit peruersa illa et infausta opinio, A. C. additos *tanquam haereticos*, aequali cum Catholicis iure frui non posse. In auertenda igitur iniusta Euangelicorum oppressione ratio est posita, quare hac pace sancita est inter vtriusque religionis consortes exacta aequalitas mutuaeque, ita, vt quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum.

§. XXIX.

Quodsi itaque fundata est regula: *quousque porrecta est ratio legis, eousque tendit ipsius dispositio*: dubium non est, quod vel ideo solum recte affirmetur: Euangelicos minime in administranda solum *iustitia*, sed in *omni omnino imperii iure communi* Catholicis esse exaequatos. Etenim sibi ipsis profecto, refragati essent pacifcentes, qui prooemio laudato affirmant,

mant, de grauaminibus quae huic bello causam dederint, conuentum et transactum esse, si nihilo fecius horum grauaminum fontes, qui alio modo, quam introducta aequalitate omnimoda obstrui non poterant, apertos reliquissent.

§. XXX.

Quae cum ita sint, quum *intentio paciscentium*, quum mens ac *sententia verborum* dispositionis, quum denique *ratio legis* amice conspirent: indubium certe et exploratum est, regulam illam exactae aequalitatis nisi *generalem* esse non posse. Exaequat in omni omnino ciuitatis et imperii iure communi Euangelicos cum Catholicis, quemlibet pro statu et conditione sua, ita quippe vt *regulariter* vna alteraue religio ipsius iura, nulla in re, nec augere nec imminuere valeat.

§. XXXI.

Quid? quod denique ex ipsa Catholicorum confessione, cuius supra mentionem fecimus x), appareat, eam aequalitatem, quam protestantes postulabant, et quam denique ipsis concedebant, esse generalem. Idem praeterea testatur ADAMUS ADAMI y), testis profecto hac in causa omni exceptione maior, quippe qui in hac generalitate regulae causam ponit, quare legati caesarei in concedenda illa tam difficiles fuerint. Ipse Catholicus, et quidem *legatus* in congressu Osnabrugensi, scribit, hac regula non solum id iuris Euangelici sibi voluisse omnibus commune, quodcumque possit Catholicis com-

F 3

pete-

x) §. 13. not. b.

y) *relat de pace W.* p. 433.
edit. Meier.

petere, sed etiam per vniuersum R. I. statum publicum nullo loco, nulla dignitate, nulla rempublicam administrandi parte potio- rem esse Catholicorum rationem: hinc diu ferre illos non potuisse. vt Bauarus Catholicus Elector quintus accederet, quin ex sua religione *paris numero* Catholicis iisdem esse debere contenderint.

§. XXXII.

Quod reliquum est, ipsum corpus Catholicorum, quod acta publica produunt, praecepta huius regulae, plus vice simplici, tanquam generalia agnouit. Nimirum cum status A. C. additi, in concluso corporis Euangelicorum d. d. XII. Apr. 1752., affirmarent, laedi exactam illam aequalitatem pace W. stabilitam, si liberi ex matrimonio Euangelici cum Catholica, et v. v., procreati, priusquam ad annos discretionis peruenissent, vi aut. persuasionibus nimis adigerentur ad amplectendam religionem Catholicam, quod vero ab Euangelicis nequaquam fieret ^z); respondebant Catholici d. XV. Iun. eiusd. anni: — „Nun ist zwar derselbe (*Catholische Reichstheil*) mit dem Satz, wie das nemlich durch den W. Friedensschluss unter beyden Theilen *eine durchgängige Aequalität heilig festgesetzt* worden, mithin der A. C. Verwandte Theil cum statibus Catholicis *ein gleiches Recht* erworben, und *was dem einen billig, dem andern Recht* seye, in der Maasse, als hiervon besagter Friedensschluss verordnet, allerdings *einverstanden* etc., a). Pari modo ipsum collegium Electorale in litteris ad imperatorem, d. X. Mart.

1764.

^z) SCHAVROTH *conclusa corporis*,
Euangelicor. tom. 3, p. 998.

a) *Id.*, tom. 3, p. 999.

1764., profitetur: „dafs die in dem Reich recipirte drey Religionen eine *durchgängige Gleichheit* genieffen b).

§. XXXIII.

Habes igitur, ex quo cognoscere possis, vim huius regulae consistere in eo, vt quilibet pro conditione sua, sine omni religionis discrimine, eodem imperii iure communi fruatur, Nonne generalis est eiusmodi aequalitas? Quis illam ideo particularem seu specialem vocauerit, quod non omnes imperii Status, Electores cum Principibus, principes cum ciuitatibus liberis, Ciuitates cum immediata imperii Nobilitate, in omnibus quoad bona, ditiones, honores exaequauerit? Eiusmodi aequalitas Platonica inter omnes ac singulos status imperii nunquam in discrimen venerat; nec eum admittunt sensum verba §i. I., non solum propter adiectas clausulas, sed vel ideo ita intelligi nequeunt, quia non *de singulis*, sed *de partibus*, seu, quod idem est, de duobus corporibus loquuntur: quod *vni parti* iustum est, *alteri quoque* iustum sit. In hac igitur aequalitate seruanda perpetuo respiciendum esse ad eos, qui de caetero eiusdem status et conditionis sunt, bene monuit acutus ille HENNINGES c). Absque illo respectu, inter diuersos ordine et dignitate, multa vni iusta esse possunt, quae alteri iniusta sunt aut saltem more patrio non permilla.

§. XXXIV.

Haec et huius farinae aliae hallucinationes, quum non solum paciscentium intentioni aperte repugnent, sed ipsis adeo dispo-

b) MÖSER von der deutschen Relig. Verfassung, lib. I. c. II. §. 4.

c) ad art. 5. §. I. not. aa.



dispositionum verbis aduersentur, dignae non sunt, quae pluribus explodantur. Nemo non perspicit a legis ratione quantum distent! Propterea indicasse sufficiat principium aliquod generale, quo singula finium huius aequalitatis regundorum praecepta, cum a religionum receptarum natura et indole, tum ab imperii R. G. formula et eius incolarum diuersa conditione petita, continentur. Illud nimirum: *Vbi cessat ratio legis, ibi deficit eius dispositio.*

§. XXXV.

Exinde facile cognoscitur, eam non esse fingendam aequalitatem, cui in capitibus fidei locus esse debeat, vi cuius omne religionis discrimen vbique sublatum sit, quae omnia iura, quibus alterutrius ecclesiae consortes inter se vtuntur, omnesque obligationes, quibus ex peculiaribus suae ecclesiae principiis sibi inuicem obstricti sunt, ad alteram accommodauerit. Nihil enim magis ab intentione pacifcentium absonum fuit, quam eiusmodi religionum Identitas. Decreuerunt potius, vt vnaeque suos ritus, sacra, caerimonias, et quaeuis instituta peculiariter, quiete retineret *d*). Et ideo caute dixerunt: inter vtriusque religionis *Electores, Principes, Status* — minime vero, *inter vtramque religionem* sit exacta aequalitas. Ex quo simul palam fit, aequalitatem illam minus congrua, licet frequenter vsitata dictione vocitari *aequalitatem religionis e*).

§. XXXVI.

d) *transact. Passau. §. 8. 9. pax rel. §. 14. 15. 16. I. P. O. art. 5. §. 29.* *e*) Excusari quidem possit ista dicendi ratio, tanquam metonymica et breuitate sua commendabilis: verum.

§. XXXVI.

Pariter ope huius principii oppido apparet, hallucinari eos, qui autumant, verba §. I. tam late esse concepta, ut inde sequatur: inter singulos imperii status, quoad bona, ditiones, honores, iura et priuilegia aequipondium obtinere debere.

Dixerunt pacis architecti: „*inter utriusque religionis Electores, Principes, Status omnes et singulos sit aequalitas exacta.*„ En*templum, quo ostentum illud apparuit. Quod extemplo disparuisset, si Iulci illi verborum aucupes meminissent regulae iuris; „*Inciuite est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua eius particula propofita, iudicare vel respondere f.*„ Excitatis enim verbis pacifcentes immediate subneſtunt fequentia: „*quatenus formae reipublicae, conſtitutionibus imperii, et praefenti conuentioni conformis eſt.* Quapropter haec et huius moduli alia ſomnia merito ridet perill. a RIEFEL g); inde vero effingit παραδοξον illud: ergo aequalitas illa non eſt generalis ſed ad adminiſtrationem iuſtitiae reſtricta — !

§. XXXVII.

Ita quoque ex hoc principio confequitur, aequalitatis regulam ad quaelibet iura ſingularia, priuilegia, et conſtitutiones perſonales, certis tantum indiuiduis, collegiis aut vniuerſtatibus propria, extendi non poſſe. Hoc itaque colore, niſi alia
forſan

veruntamen omnem hic adhiberi
cautionem fatius eſſe reor, ne, dum
breues eſſe cupimus, obſcuri ap-

pareamur.

f) 24. de LL.

g) in commentat. cit. p. 10. 12.

G

forſan iuſta et ſufficiens cauſſa ſubſit, horum iurium commu-
 nionem neutra pars expoſcere poteſt: obſtat enim ſiue defe-
 ctus habitatis, ſiue in caſu habitatis deficit voluntas ſuperioris
 illius, a cuius libero arbitrio conſeſſio horum iurium pendet.
 Ideo quidem in eo erraſſe arbitror acutiſſimum alias HOM-
 MELIVM, qui regula illa aequalitatis eo abutitur, vt opi-
 fices, ſine vſo religionum diſcrimine, vbique in con-
 ſortium collegiorum admittendos eſſe ſtatuat *h*); negligit
 enim omnem perſonarum diuerſitatem, iuraque imperii com-
 munita cum ſingularibus ciuitatum iuribus miſcet *i*). Nec di-
 ſtincte ſatis loquutus eſt HENNIGES, qui in verbis §i XXXV.
 art. V. obſeruat, ad familia quoque referendum eſſe ius ciui-
 tatis in municipiis; quod verum quidem eſt, ſi de acquirendo
 iure ciuitatis in iis locis vbi 1624. publicum vel priuatum vtrius-
 que religionis exercitium vigit, explicetur: minime vero ad ea
 loca quadrat, vbi dicto anno alterutra tantum religio floruit.

§. XXXVIII.

Quae quidem huius aequalitatis fines, ductu ipſarum le-
 gum deſcriptae, minime impediunt, quo minus *generalis* vo-
 cari poſſit ac debeat. Quicquid enim pro ſubſtrata materia in-
 telligendum eſt. Apparet igitur, multum aberrare illos, qui
 naturales huius regulae limites pro exceptionibus venditant,
 tantaque exceptionum cohorte regulam ipſam funditus exſtir-
 pare ſatagunt. At ſalua res eſt! Sunt exceptiones quaedam,
 vti

h) *Rhapſod.*, obf. 518.

i) v. ſupra §, 25.

vti iam vidimus *h*) at paucissimae! Equidem de his valent illa PAVLLI 1) quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. Sunt igitur exceptiones strictissimae interpretationis, nec dubium est, quin in casibus non exceptis firmant potius regulam, quam evertant. Inde simul liquet, illi, qui ius quoddam speciale contra exactam aequalitatem, ex lege aliqua dubia, sibi asserit, non solum incumbere onus probandi, sed interpretationem adeo semper contra ipsum esse faciendam.

§. XXXIX.

Caeterum ex positis principiis hoc quoque consequitur, nec eas dispositiones, quas supra tertiae classi adscripsimus, ad exceptiones a regula referri posse. Loquuntur quidem si nuda verba captaueris, tantummodo de alterutrius religionis consortibus. Sed hoc casu, vt in aliis, vnus positio non est alterius exclusio, quod infra commodiori loco demonstrabimus.

§. XL.

Descriptis cum ambitu, tum limitibus regulae, reliquum est, vt disquiramus, quatenus illa ad subditos applicari possit. Equidem alia est dispositio §i I. art. V. alia continetur §o XXXV. et reliquis §§is quibus iura subditorum definita sunt *m*). Nec negauerim, differre aequalitatem quae inter *status* constituta est, ab illa, quae inter *subditos* obtinet: excussa tamen diuersitatis ratione apparebit: subditos quoque hac regula generali tutos esse.

G 2

con-

h) §o 21.

1) 14. de LL.

m) §. 30-37.

Summa discriminis in eo posita est, quod *statibus* omnia omnino iura, quae, religionum separatione nondum insequuta, cuilibet quaesita fuerant, sine ullo religionis respectu seruata et confirmata sunt: *subditis* contra hic laetior, illic durior contigit vitae conditio, prouti nempe vel publicum, vel priuatum, vel neutrum plane religionis exercitium anno decretorio habuerunt o). Proinde aequalitatem, quae *inter status* ratione religionis obtinet, vocauerim *absolutam et simpliciter talem*, siquidem eorum iuribus, si reseruatum ecclesiasticum exceperis, religio in nulla re nec addere quicquam, nec detrahere possit, quum singuli adeo A. C. addicti, quilibet pro conditione sua, iisdem fruantur iuribus imperii, quibus singuli Catholici eiusdem conditionis ac fortunae. Ea vero, quae *subditis* contigit aequalitas, est *respectiua* tantum et *secundum quid talis*; non enim singuli in quolibet imperii territorio eiusdem sunt conditionis ac vitae: sed eiusmodi tantum aequalitate, ad similitudinem edicti illius efformata: *quod quisque iuris in alium statuere, ut ipse eodem iure utatur*, ipsis prospectum est. Nihilominus tamen absque contradictione recte asseritur: inter subditos quoque diuersae religionis obtinere *exactam mutuamque aequalitatem*; inter subditos scilicet vtriusque ecclesiae, tanquam duo corpora spectatos. Quicquid enim A. C. addictis in territorio Catholico illicitum est, illud quoque Catholicis in territorio Euangelico recte denegatur. Vnde concludimus: *differre* quidem eam aequalitatem, qua *status* omnes ac singuli gaudent, ab ea, quae inter *subditos* est constituta: *conuenire* tamen vtramque in eo, quod sit *exacta, mutua, et omnimoda*, nulla exceptione, quae non expresse e legibus doceri possit, limitanda.

o) L. P. O. art. 5. §. 30. sqq.

§. XLI.

Quae cum ita sint, certae et indubitatae sunt propositiones illae:

I). Vtraque religio in imperio recepta est et publice approbata.

II). Idem vtriusque religionis ad imperium est habitus, ita, vt hoc respectu, nullo loco, nulla dignitate, nulla republicam administrandi parte, alterutrius ecclesiae potior esse possit conditio.

III). Ab illa aequalitate, quae inter vtriusque religionis consortes constituta est, nulla prorsus exceptio, nisi ab ipsis imperii legibus speciatim agnita, fingi aut admitti debet.

Aequae certa et explorata sunt, quae inde fluunt corollaria:

I). Nec Protestantes nec Catholici pro haereticis haberi possunt. Exulat itaque inter illos omne quod de haereticis ius scriptum est.

II). Imperator vtramque ecclesiam aequali modo defendere ac protegere tenetur *p*).

III).

p) addatur iam allatis huius thesibus probationibus CAPITVL. caef. 1519. art. I. §. I. — „versprechen, . . . daß wir in Zeit solcher unserer königlichen Würde, Amt und Regierung, die Christenheit, den Stuhl zu Rom, Päpstliche Heiligkeit und Christliche Kirche in gutem treulichen Schutz und Schirm, als derselben Aduocat halten sollen und wollen.“, comp. cum CAPIT. (1562) art. I. §. 10. „Soviel aber in diesem Articul den Stuhl zu Rom und

Päpstliche Heiligkeit betrifft, wollen die der A. C. zugethanen Staende uns damit nicht verbunden haben.“, add. 1653 „Gestalt dann auch gedachte Aduocacia dem Religions und Profan- auch dem Münster und Osnabrückischen Friedensschlus zu Nachtheil nicht angezogen noch gebrantchet, sondern den obgedachten Churfürsten und sämtlichen ihren Religions Verwandten im Reiche gleicher Schutz geleistet werden solle.“,

III). In omnibus causis, tam politicis, quam ecclesiasticis, ciues et status imperii Evangelici, quilibet pro conditione sua, eorundem iurium ac priuilegiorum capaces sunt, quibus Catholici.

IV). Corpus Euangelicorum aequipollet corpori Catholicorum.

V). In omnibus causis, quibus imperii Ordines tanquam vnum corpus considerari nequeunt, votorum pluralitas attendi non potest.

VI). Nec operatur quicquam maior votorum numerus, quoties Catholici et A. C. additi in partes eunt.

§. XLII.

Ex his principiis singulari casus, qui quandoque incidant, vbi de iuribus vtriusque ecclesiae quaestio mouetur, facile diiudicari atque decidi poterunt. E. gr. si quis, *annon Evangelicus Imperator eligi queat?* sciscitaretur, nemo haesitabit, qui nouerit, leges imperii nullo loco Euangelicos a throno Caesareo excludere, nec aurea bulla aliud quicquam requiri, quam vt sit homo iustus, bonus, vtilis; q) obseruantiae praeterquam et analogiae vtiq; satisfieri, si modo ex ordine nobilitatis superioris creetur. Ita quoque interroganti: num Euangelicis eodem modo, vt Catholicis, ius et iustitia administrari oporteat? num in negotiis publicis vtrinque seruandus sit idem tractandi ordo, eadem methodus? Vtrum in casu, quo totius imperii, vel circuli, vel partium diuersae religionis res agitur,

q) A. B. tit. I. §. I.

tur, vtriusque religionis Deputatorum, Consiliariorum, Executorum, seu quocunque nomine venerint earum rerum administri *aequalis numerus* adhiberi debeat? haec et alia eiusmodi interroganti inquam, quilibet horum principiorum non ignarus quin affirmando respondere debeat, nullus dubitabit. Pariter in proclui est, matrimonia Euangelicum inter et Catholicam, seu v. v. inita, habenda esse pro veris, liberos inde procreatos pro legitimis, ideoque filio alterutri ecclesiae addicto, a parentibus diuersae religionis prognato, viam ad dignitates et beneficia ecclesiastica praecludi non posse.

Apparebit denique ex istis principiis, quatenus in iis casibus, quibus huius regulae applicatio vltro citroque postulata est, iusta legitimaque causa adfuerit, nec ne? Quorum potissimos referre a re alienum haud esse videtur.

§. XLIII.

Non ita multo post conclusam pacem W. conquerebantur status Euangelici, quod ille numerus Consiliariorum Euangelicorum, qui virtute pacis in consilio imp. aul. adesse deberet, hucusque nondum adfuerit; qua de causa Euangelici, maioribus Catholicorum saepenumero oppressi, maximas iniuquitates, decretis contra iura ac priuilegia sua citationibus, mandatis, inhibitionibus, commissionibus, executionibus, &c. perpeffi fuerint. Quocirca petunt ab Imperatore: „auf obangeretes Verfahren ein kräftiges Einsehen zu schlagen, und die nachdrückliche Verordnung zu thun: das der Euangelischen Sachen in *Gleichheit solcher Religions-Verwandten Reichs-Hofraethen*, ohne Uiberstimmung von den Catholischen abgehan-

handelt, auch bey ausfallender Parität der Votorum nicht anderstwo decidiret, sondern, kraft Friedensschlusses, ad Comitia remittiret, und bey solchen Remissionen gelassen, hierüber die Austräge beständig beobachtet, der lieben lustiz, ohne anderer Rütthe Eingriff, Aufhalt und Aenderung, ihr freyer Lauff gelassen, und also dem Instrumento pacis . . . unausgeletzt moege nachgelebet werden r).

Ita quoque status Euangelici d. VI. Dec. 1669. optimo iure petunt: vt *Commissarius rei librariae* praefectus inhibeat, quo minus pro lubitu Euangelicorum scripta theologica, praefertim polemica supprimat. Quae procax licentia si non breui coerceretur, se ius suum *mutuae et exactae aequalitatis*, vi cuius in eiusmodi muneribus *paritas* religionis obseruari deberet, eousque persecuturos esse minitabantur, donec huic desiderio ab omni parte satisfactum fuerit s).

D. XXIII. Aug. 1673. legati Statuum Euangelicorum ab Imperatore petunt, vt in *Austrargis*, nec non in constituendo *iudicio supplicatorio*, paritas obseruetur t).

Eodem anno saepe repetita vice Principes Euangelici vrgent: *officiales Cancellariae Camerae imperialis* ex paritate religionis constituendos esse u). Et recte quidem non solum in regula

r) HENNIGES in *meditatt. spec.* Caes. art. 2. §. 7.
V. mantill. 2. p. 80. sqq.

s) SCHAVROTH *conclusa corpor. Euangel.* tom. 1. p. 139. vid. Cap.

t) SCHAVROTH tom. 2. p. 94.
u) Id. tom. 1. p. 294. 299. 301.

gula illa exactae aequalitatis, sed etiam in expressa lege x) intentionem suam fundant.

Porro propter exactam aequalitatem in conferentia Evangelicor. *Wetzlar*. d. XIX. Dec. 1713. asserunt Protestantes: summis imperii tribunalibus, in causis Euangelicorum ecclesiasticis et matrimonialibus, nullam competere *iurisdictionem*, nec in vlla lite Iudici camerae imperialis *votum decisivum* y).

Ao. 1719. Principes Evangelici de *Directorio* conqueruntur ita: „Da die Directoria sich einer immer mehrern Meisterschaft anmaassen thun, so werden Euangelici sich endlich gezwungen sehen nach Anleitung des I. P. auf die Vornehmung der Materie de legitimo munere Directorii in imperii collegiis zu dringen und zu Behauptung der *Kraft eben desselben Friedensschlusses gebührenden Parität* beyderley Religion solche adiunction im Directorio zu begehren, wodurch Evangelici gegen alle Partheylichkeit sicher gestellt würden, z).

Quum ministerii Francofurtensis Senior D. MUNDEN articulos *Schmalcaldicos* denuo typis exscribi curaret, excitabat consilium imp. aul. fiscale, ad impediendum impressionem. Quod quidem aegre ferens Corpus Euangelicorum d. XVIII. Mart. 1739. litteras ideo ad Caesarem emittit, quibus recte affirmat: Quodsi Corpus Catholicorum ea de causa conqueri, et

x) O. C. p. I. t. 8. §. 3.

y) SCHAUR. tom. I. p. 285. sqq.

FABER Staats C. t. 36. p. 728.

z) SCHAUROTH t. I. p. 620.

et impressionem dictorum articulorum impedire velit, Evangelicos eodem iure propter exactam aequalitatem postulare posse, vt *Concilium Tridentinum* cum suis anathematibus abrogetur *a*).

Quousque Catholici in applicanda illa aequalitate nonnunquam processerint, vel illud satis indicio erit, quod non solum in constituendis summis belli officialibus et consiliariis *b*), verum etiam in *Cancellaria Marschallatus imperii* hereditarii, pares ex vtraque religione desiderauerint *c*).

SECTIO IV.

§. XLIV.

Descripta in antecedentibus natura et indole aequalitatis inter vtriusque religionis sodales stabilitae, et positis probatisque principiis in eius applicatione custodiendis: accuratius porro discutiamus *opiniones aduersariorum*, quae ad vnam omnes in eo collineant, aequalitatem illam non esse generalem, quod vero alii his, alii illis documentis euincere contendunt. Quocirca ingenue exponamus sigillatim singula fundamenta, quibus hypothesis ista superstructa est, et quidem, vt eo melius quae, qualia et quanta sint, elucescat, in forma syllogistica; subiunctis tamen, vt omnem fallaciae spe-

a) SCHAVROTH t. I. p. 159.
cf. CAP. CAES. art. 2. §. 8.

b) v. *Protocollo collegii principum*.
d. d. 16. Dec. 1671, nec non d. d.

27. 29, 30. Mart. I. TO 12. 15.
Apr. 1711 vet. a. 1672. ap. SCHAVR.

t. I. p. 293.

c) SCHAVR, t. I. p. 301.

speciem effugiamus, ipsis verbis eorum, qui contrarias istas assertiones professi sunt.

Primum argumentum desumunt a dispositionibus *primae classis*, adeoque tali modo ratiocinantur:

Si pacis conditores exactam et omnimodam aequalitatem tanquam regulam generalem ponere voluissent, nullis prorsus sanctionibus specialibus, quibus illam inter ciues imperii diuersae religionis introduxerunt, fuisset opus.

Atqui passim reperiuntur huius generis dispositiones:

Ergo regulam §i I. art. V. generalem esse noluerunt.

Ita argumentatur *perill. a RIEFEL*, in commentatione memorata, p. XXII. „Wenn eine gaenzliche und allgemeine Gleichheit im W. Frieden haette als eine Regel sollen festgesetzt werden, zu was Ende waeren so viele einzelne Vertraege? . . . alles von Religions und anderen Beschwerden waere dadurch geschlichtet gewesen,,.

§. XLV.

Speciosum sane hoc argumentum primo intuitu videtur: at propius istas dispositiones speciales considerantem, inprimis rerum Germanicarum non imperitum, latere non potest, eas minime gentium esse otiosas, sed prudenti consilio legi generali superadditas. Quis enim nescit leges generales plerumque rabulis ac *νομοδικαις* apertum relinquere campum, ubi versutis suis technis ad excitanda iurgiosa certamina abuti possint? Ipsa non solum natura rei, sed etiam experientia satis superque docent, lites quascunque inde tantum oriri, quod leges positivae in casu dato vel plane deficiant, vel

non satis exacte ad rhombum quadrent, adeoque hoc certe in confesso est, si leges ita scribi possint, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, istis desiniantur, omnes omnino lites eo ipso sublatae essent. At enimvero, quis est, qui leuiter tantum legislationis historia vniuersali instructus, non perspiciat, tanto operi omne humanum genus vix, ac ne vix quidem, par esse. Propterea, vt quisque est sapientissimus legislator, ita potissimum curabit, vt casus maxime anticipites et controuersos, quantum fieri potest, specialissimis normis desinat; reliquos vero, qui incidere possint, regulis generalibus comprehendat, ne in iis casibus, qui praeuideri non poterant, iusti atque iniusti criteria nimis obscura et ambigua sint. Ita sagacissimi pacis W. architecti. Eo fine, vt illa praesertim iura, quae, vni alteriue religioni additis, hucusque maxime disputata fuerant, sacrosancta, et contra omnes sycophantias rabulisticas, velut Aegide, munita, aeternum starent, eae figebantur tabulae, quae in articulis specialibus idem Euangelicis ius, quod Catholicis, tribuunt. Exemplis res conficiatur. Peruulgatae sunt illae P. W. dispositiones, quibus in omnibus fere negotiis publicis *suffragiorum pluralitatem* attendendam haud esse praecipitur. Quae profecto summam produunt pacificatorum sagacitatem. Etenim, Status imperii Catholicis sacris additi, tempore pacis W. et ad hunc vsque diem Euangelicos numero superabant; huc accedit, quod maiora regulariter ius faciant, fecissent quoque, non obstante exacta illa aequalitate, vtpote quae eatenus tantum concessa, quatenus formae reipublicae, et constitutionibus imperii conformis est. Atqui ante exorta religionis *dissidia* in comitiis S. R. I. vniuersalibus, vt in omnibus fere col-
legiis,

legiis, natura quasi viam monstrante, minor pars, maioris partis suffragiis victa, obsecundare debebat: Quod ne olim ita foret, expresse et speciatim pace W. scitum est, et propter clausulas, quibus exacta aequalitas adstricta est, cauere oportebat. Ex eadem ratione prouido edixerunt pacificentes consilio: in conuentibus deputatorum imperii ordinariis, itemque comitiis vniuersalibus, siue ex vno, siue duobus, aut tribus imperii collegiis deputandi venerint, *numerus* ex vtriusque religionis proceribus aequator. Porro iura vtriusque religionis statibus in *bonis ecclesiasticis* acquisita vtrinque confirmantur. Nam denegassent procul dubio Catholici iura, tantum non omnia, Euangelicis Statibus in bonis ecclesiasticis quaesita, siquidem tum temporis tantum religio poterat suadere malorum, vt Protestantes ne quidem habiles bonorum ecclesiasticorum possessores iudicarentur *d*). In eo quoque saluo legis carmine sententia eius potuisset circumueniri, nisi expresse constitutum esset, subditos statuum Catholicorum A. C. addictos peraeque vti Catholicos A. C. statuum subditos, *qui a. 1624. nullum plane religionis exercitium habuerint*, patienter tolerandos esse. Plura non addo. Ex his scilicet abunde constat, non opus esse, vt ad tritum illud confugiamus: non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. Quandoquidem harum sanctorum fin etiam vna alteraue non adeo necessaria fuisset, cunctas tamen profecto esse peritiles oppido apparet.

H 3

Quae

d) vid. SCHWEDER *de aduocacia iure praestanda* Vol. II. dissert. *quia ab imperatore ecclesiis aequali* p. 724.

Quae cum ita sint, rectius sic colligetur:

Si ratio subest, quae, regula generali licet stabilita, fuit, ut, in casu speciali incipiti seu controuerso, utriusque ecclesiae aequalia iura concederentur, inde concludi non potest, regulam non esse generalem:

Atqui hoc, quod probatam dedi, subsumo, indeque, quod asseueraui, concludo.

§. XLVI.

Alii alia via generalitati huius regulae exitium parare student ita ratiocinantes:

Quotusquisque possessione iuris acquisiti tuetur, illud eiusque retinet, quoad ei expressa dispositione contraria non aufertur:

Atqui Catholici ex antiquissima et immemoriali possessione ius acquisitum habent fidei, religionis, bonorumque ecclesiasticorum:

Ergo, quicquid horum Catholicis non est expresse ademptum, illud omne relictum est.

Inuertunt hunc syllogismum ita:

Quotusquisque possessione iuris non defenditur, ei omne illud, quod non expressae legis auctoritate concessum, manet prohibitum:

Atqui Euangelici antiqua et immemoriali fidei, religionis, bonorumque ecclesiasticorum possessione non gaudent:

Ergo quicquid Euangelicis circa ea non est expresse concessum, id omne ipsis hucusque prohibitum est.

Ita

Ita ratiocinatur BANNIZA *e*), scribens: „Cum Catholici ex antiquissima et immemorabili possessione ius acquisitum habent fidei, religionis, bonorumque ecclesiasticorum: quicquid ipsis non expresse ademptum, id omne manere concessum; E contra, quicquid Confessionistis, (qui se nouiter intruserunt, et, cum repelli non possent, tolerati sunt, etiam promissione facta, propter necessitatem) expresse non concessum, id omne illis videri denegatum: vtramque regulam notet tanquam vniuersalem, fundamentalem, a Protestantibus elidam nunquam, nec elidendam vnquam vel eludendam.,,

Eidem opinioni calculum adiicit BARTHEL *f*). „Quicquid Protestantibus, *inquit*, non est expresse concessum, id omne venit prohibitum: Sicut contra, quod Catholicis non fuit nominatim ademptum, illud manet intactum.,,

Et magis adhuc illam firmare studet perill. SCHMIDT *g*), cuius ipsissima verba haec sunt: „Ex ipsis Protestantibus quaerere liceat, ane vero in eo euentu, vbi religio Catholica in regnum quoddam soli Protestanticae hactenus additum recens admittenda foret, ane, inquam, non ipsimet intuitu Catholicorum ipsissimum auctoris principium propugnaturi essent? Ego nullus fane dubito. Nil tam eidem obistere videtur . . . quam quod exacta quaedam mutuaeque
aequa-

e) in *diff. de subsidiis interpretationis doctrinalis pacis rel. et W.* (reg. 12.) quam ill. SCHMIDT inseruit *thesauro iuris ecclesiastici* t. I. n. II. p. 494 sqq.

f) *Opusculor.* tom. I. p. 574. *g*) in animaduersi. ad BANNIZA *e* cit. *diff. vid. thesaur. iur. eccl.* t. I. p. 510.

aequalitas art. V. §. I. inter utriusque religionis confortes porro in Germania sit stabilita. Sed cum Catholici eiusmodi regulam aduersus sese ualere non sint passuri, id ob eam aequalitatem nec Protestantes permittent. Mirum est, quam saepe ad hanc aequalitatem prouocari soleat. Ea autem, qualis demum cunque sit, talis esse nequit, ut, quae facta sunt, infecta efficiat, quae necessaria et ineluctabili sequela ex factis eiusmodi profluant, auferat: verbo, ut plane *aduersa* inuoluat. Ita ex ea aequalitate fieri nequit, ut ne Catholica religio sit antiqua in Germania, ne Protestantica, ante tempora reformationis plane incognita atque adeo noua, in recentem primum possessionem cum Catholica admissa; ne factum id fuerit, non nisi Catholicis ad id armorum strepitu et calamitate adactis; ne demum ineluctabili sequela antiquae religioni salua ea omnia manere debeant, quae per transactionem nouae concessa non sunt, et plus quicquam ab his praetendi nequeat,.

Quibus disteriis probare contendunt, Euangelicis in iis tantum casibus aequalia competere iura, quibus expressis uerbis ipsis prospectum: restringunt itaque aequalitatem ad dispositiones primae classis; at quam infausto et infelici successu regulae generalis neruos rescindere tentauerint, ex sequentibus constabit.

§. XLVII.

Liceat ex aduersariis quaerere, quo tandem sine regula illa instrumento pacis inserta est? Qua de causa Catholici omnem mouerunt lapidem, ut vel prorsus omitteretur vel
saltem

saltem magis restringeretur? Prouoco ad ea, quae supra ex actis deduxi; prouoco ad intentionem paciscentium, ad litteram et sensum verborum, ad rationem huius dispositionis; prouoco denique ad ipsam Catholicorum confessionem, ad contentationem adeo legati Catholici, ad agnitionem totius corporis Catholicorum *h*): quis est qui inde non conuincatur, longe aliud, non solum *intendisse* alteram paciscentium partem, sed ab altera etiam *exegisse*, quam partialem istam aequalitatem? Tam indeclinabili sequela ex omnibus istis elucescit asserti nostri veritas, vt nullo pacto erroris notam effugere possit is, qui in contrariam sententiam abit. Intueamur iterum, ni taedet clarissimis rebus plus luminis affundere velle, ipsius dispositionis verba: „ Quae de nonnullis in ea (P. R.) articulis controuersis hac transactione statuta sunt: ea perpetua dictae pacis declaratione . . . obseruanda habebuntur In *reliquis* omnibus fit exacta aequalitas „. Quem vero fugit, istos articulos, qui specialibus primae classis dispositionibus hac transactione W. definita ac declarata sunt, omnes ac singulos ante pacem W. a Catholicis in dubitationis aleam esse protractos? Istos igitur articulos, vt ab omni vexa friuolaque elusione liberarent, ideo paciscentes specialibus dispositionibus munierunt. In *reliquis* vero, id aperte significat: *in iis articulis, qui nec pace rel., nec pace W. speciatim definiti sunt*, exactam et omnimodam aequalitatem seruari volunt. Quo quaeſo pacto hoc dicere potuissent paciscentes, si exclusiue Catholicis omnia ista iura tanquam praerogati-

vas

vas relinquere voluissent? At longe aliud praecipit pax, aliud iubet imperator directoribus circularum iniungens: „dafs sie alle und iede . . . wo das Instrumentum pacis specialiter disponirt, secundum litteram; im übrigen aber, *ex regulis generalibus* restituiren sollen, i) Quibus fortissimis rationibus coactus quilibet ita potius argumentabitur:

Si quaelibet inter Euangelicos et Catholicos ratione religionis iurium imperii communium differentia et inaequalitas sublata est, eum, qui contra regulam praecipui quid sibi asserit, argumentis illud et rationibus probare decet.

Atqui §. I, articuli V. I. P. O. Catholicos et Euangelicos in omni iure imperii communi, tam in politicis, quam in ecclesiasticis prorsus exaequat, omneque hoc respectu inter ipsos discrimen tollit: Ergo etc.

§. XLVIII.

Terti argumenti vicem praestat sequens ratiocinium, a principio contradictionis petitum.

Vbi inaequalitas, ibi non potest adesse aequalitas:

Atqui inter Electores, Principes, caeterosque imperii Ordines, summa conspicitur inaequalitas: Ergo etc. Merito exclamatur *perill. a RIEFEL k)* „Wie würde man über den Unverstand zürnen, wenn einer durch diese Stelle (§. I. art. V. I. P. O.) dreift und verwegen die allerhöchste Vorbehaltungsrechte des Kaisers mit den Privilegien der Churfürsten, die Vorzüge der Churfürsten mit den Gerechtigkeiten der Fürsten, die Gerechtigkeiten der

i) vid. *arctior modus exequendi* publ. p. m. 853. edit. 1774. etc. 1649 in SCHMAVSS. corp. iur. k) in *commentat. cit. p. 17.*

der Fürsten mit den Freyheiten der Ritterschaft in allem wollte ausgleichen, weilen es eben da heisst: inter Electores, Principes. Statusque omnes et singulos sit aequalitas exacta mutuaque? et alio loco *l)* addit: „der Schluss ist hieraus Sonnenklar, das die Gleichheit nicht könne allgemein und ungebunden seyn,, et paucis interiectis pergit *m)*: „Und gleichwie diese Gleichheit unmöglich allgemein bestehen kann, so ist sie bey zweyen Religions-Theilen oft VNERTRAEGLICH, welche andre Principien und Grundsätze haben und kann ohnmöglich von dem nehmlichen Maasstab abgemessen werden.,,

§. XLIX.

At enimvero, quis est, qui non videat, hoc lemmate statum controuersiae mutari? Concedimus totum argumentum; Sed quid inde? Est diuersa statuum conditio, cuilibet salua sunt quaelibet iura, praerogatiuae, immunitates, priuilegia, iusto legitimoque modo quaelita. Hoc nemo sanus vnquam in dubium vocare ausus est. Sed non obstante ista, in tertio quodam disparitate, seu rectius, *dissimilitudine*, status vtriusque religionis sibi pares esse, in eo scilicet, *ut nulla religionis ratione habita, quilibet pro conditione sua, eodem imperii iure communi perfrui, eadem protectione muniri debeat*, hoc est, quod recte et absque contradictione asseueramus.

§. L.

En aliud eiusdem argumenti ratiocinium:

Vbi conspicua est summa diuersitas, non solum in articulis fidei fundamentalibus, verum etiam in singulis ecclesiae institutis ac ritibus, ibi exacta aequalitas exulat;

I 2

Atqui

l) ib. p. 10,

m) ib. p. 11,

Atqui hoc praedicatur de ecclesiis Romano-Catholica et Evangelica, ideoque aequalitas inter utramque negatur. Audiamus ipsissima auctoris huius ratiocinii verba n): „eine gänzliche Gleichheit zwischen ungleichen Religionen einführen wollen, zwischen Religionen, die in ihrem wesentlichen unterschieden, deren Lehrrätze nicht anders als sich widersprechen können, deren Anwendung anderst und anderst seyn muß, wäre in der That einer Chimäre mit eiteln Begierden nachjagen, et paullo post sequitur: „Und soll sich wohl eher in Religions-Sachen, derselben Satzungen und Gebräuchen der Catholic mit dem Protestanten, der Protestant mit dem Reformirten in eine uneingeschränkte Gleichheit können setzen lassen? Meines Erachtens, so wenig man die, welche der alten Religion zugethan, als Neulinge, und die der neuen Religion als der alten anhängige angeben kann, so wenig läßt sich hier eine allgemeine gänzliche Gleichheit einführen.“

§. LI.

Per se corrui vis argumenti istius, quatenus contra nostram thesin directum est. De aequalitate, seu potius *identitate*, ipsarum *religionum* nunquam sermo fuit, sed tantummodo de aequalitate inter *ciues imperii* alterutri religioni addictos et quidem in terminis habilibus saepius indicatis. Nam „certum est, BARTHELIVS inquit o), quod principes neutiquam sibi auctoritatem sumserunt, de fidei, religionis et disciplinae ecclesiasticae quaestionibus dogmatice decernendi, quod laicis principibus, qui *ovēs* sunt, non *pastores*, non licere, optime norunt.“

§. LII.

n) *perill*, a RIEFEL I, c, p. 16 o) *opuscc*, tom, I, p. 29.

§. LII.

Quaquam multis fortasse operae pretium haud esse videbitur, vt in conuellenda vltcrius contraria sententia plus operae consumamus, quam tot nimirum iam telis confossam protinus corruere oporteat, attamen, ne causae nostrae vlllo modo defuisse, aut quicquam quod ad firmandam non minus nostram, quam manifestae etiam falsitatis conuincendam contrariam sententiam pertinere queat, temere neglexisse iure meritoque argui possimus: non nisi confutatis quibusvis rationibus, in quibus causae suae praesidium ponere videntur, dissentientes ex arena discedere decreuimus. Qua in re tamen, ne iusto prolixiores simus, reliqua dissentientium argumenta, quae exigui certe ponderis esse videntur, obiter saltem attingere lubet. Sic facillime dilui poterunt quae sequentem in modum efformantur argumenta:

Si paritas vniuersalis esset, in pari quoque *numero* vbique consistere deberet,

Atqui, par numerus attendi tantum debet in casibus *specialim determinatis*: Ergo etc. Et quod eiusdem commatis est:

Vbicunque inter duo corpora dispar membrorum est numerus, ibi aequalitas exulat.

Atqui Catholici status numero Euangelicos superant, Ergo etc. His argumentis vtitur *perill. a RIEFEL* vt lectoris animum sensim et per gradus ad conclusionem generalem praeparet. Scribit enim *p)*: „Der fünfte Articul des W. Friedens schreibt §o III. benahmsten zur Verrichtung ihrer Ehrenämter vor: sit inter vtrique religioni addictos aequalitas *idemque numerus* . . . Wenn der alleinige Ausdruck von der

Religions-Gleichheit schon alles dieses enthalten hätte, was heutzutage daraus geschmiedet werden will, *wie unnütz wäre der andere Ausdruck von Gleichheit der Zahl?* Der §. LVI. schreibt den Reichsdicafterien vor: *si inter mediatos vel actor, vel reus, vel tertius interueniens fuerit, A. C., et paritatem indicantium ex vtriusque religionis assessoribus postulauerit, adhibeantur pares . . .* Wozu dienet der Anhang, *si postulauerit*, wenn die Gleichheit in der Zahl ohnedies in dem Artic. V. §. I. „*Exacta mutuaque aequalitas*„ schon mit begriffen gewesen wäre, praeterea p. XXIII. addit: In der Wahlcapitulation art. XVIII. §. V. wird nur eine Gleichheit der Commissariorum versprochen, *so viel möglich*, also kann sie nicht in allen Fällen begeret werden. „et p. XXII. exclamat: Welch eine genaue Gleichheit VI. Evangelische, unter XVIII. Reichshofräthen, wo ein Theil nochmal so stark als der andere!„

§. LIII.

Quae quidem obiectiones vel vnico verbo sufficienter elidi poterunt. Quod ad primam attinet, negamus minorem; verissimum enim est, regulae tamdiu standum esse, donec doceatur contrarium. Quin etiam ne quidem dubitari potest, an aequalitas illa paritatem numeri inuolnat, nec ne? cum Imperator ipse vna cum imperio hoc agnoscat e. g. in CAPITVL. art. IV. §. III. g) vbi promittit: „dafs die von uns in gleicher Anzahl beyder Religion zu bestellende Generalitaet, sammt den ebenfals in gleicher Anzahl von beyden Religionen zu ernennenden Kriegs-Raths-Directoren in unser und des Reichs

g) SCHMAVSS, C. I. P. p. 1549.



Reichs Pflicht genommen werden,, . Hic ingenue Caesar et imperium profitentur pari ex vtraque religione numero constituendos esse summos exercitibus imperii praefectos, rerumque bellicarum consiliarios, de quibus tamen, tam in pace relig. quam in pace W. altum silentium. Ita quoque vbi de numero assessorum iudicii camerae imp. tractatur, concedunt quidem Evangelici, post diutinas altercationes, Caesari ius, duos suae religionis eligendi, ita vt XXVI. Catholici XXIV. Evangelici iudicium constituerent: annectunt vero disertis verbis: „Wir protestiren dabey, das wir ihnen diese Praerogativ einig und allein zur Bezeugung unserer Friedensbegierde, und Ihro Kaiserl. Majest. zu allerunterthaeufigsten Ehren nachgaeben, und sonsten (aus obgedachten Ursachen) *von der uniuersali paritate abzuweichen keine Ursachen hatten r*).

Sed instant, quorsum igitur speciales istae, de paritate numeri, sanctiones, quum regula generalis iam sufficere potuisset? Cui quidem dubio, leuidensi sane, quum iam supra fatisfecerimus r): illud modo hic animaduertere liceat, tantum abesse, vt ista de paritate numeri placita otiosa sint, vt potius eximiam nomothetarum prudentiam, summamque in praeuidendis scrupulis, quibus hisce dispositionibus omnem animum resciderunt, sagacitatem mirari debeamus. Omnibus plane occurrunt dubiis, quae, vel e clausulis huic regulae adiectis, vel aliunde forsan extorqueri potuissent; effugiunt eo ipso alia glaucmata, e. g. quod, veluti in consilio imper. aul., in

r) MEIERN I, c. tom. 5. lib. 39. s) §o 45.
p. 490.

in pari pondere tantum, non in pari numero aequalitas consistere debeat. Miror itaque, quod antagonistae, qui in specie ad §. III. articuli V. prouocant, non intellexerint, quamobrem ibi regula generali stabilita licet, nihilolocius paritatis numeri mentio facta sit. Hoc etenim §o scripserant pacificentes: seruetur aequalitas — omissis epithetis: *exacta mutuaque*; necessarium itaque erat, hisce verbis alia, quae illis aequipollerent, surrogare, quod quippe fecerunt, addendo: *idemque numerus*.

At enim, posito etiam sed non concesso, istiusmodi dispositiones esse superfluas: quid tum? Ideone regulam *limitant*? Nonne illam potius *confirmant, declarant, denuo inculcant*? At forte duo simul esse et non esse possunt!

Excitatur denique Capitulat. caes. (n. b. FRANCISCI 1745) ubi Caesar spondet, se paritatem in Commissariis *quantum fieri possit*, obseruaturum. Quid multa? Videatur CAPITVLATIO NOVISS. art. XVIII. §o V., ibi verba, „*so viel möglich*“, expuncta. haec vero substituta sunt: *ad normam instrumenti pacis*. Hoc vero omni limitatione cessante praecipit., vtriusque religionis *pari numero* Commissarii denominentur et ordinentur,, t). Quin etiam verbis illis, quod ex contextu liquet, ne quidem indigitabatur: paritatem, *quoad numerum*, quantum possibile, obseruandam esse: sed de paritate *quoad vires et potentiam* Commissariorum ibi sermo erat.

§. LIV.

Neque minus contra hanc regulam impingunt, qui iura mere specialia in sensu generali accipiunt, et generales inde con-

t) art. V. §. 5r.

conclusiones deducere conantur. Haec enim merito exceptionibus à regula adscribuntur ^{u)}. In quo inter nostrates nimium quantum peccauit b. PFAFFIVS, qui in *[diff. de Zizaniis non euellendis]* p. XVII. a particulari ad vniuersale ita argumentatur „Art. XIII. §. VIII. I. P. O. cautum est, ne Episcopus Osnabrugensis Catholicus, licet superioritate territoriali gaudeat, quicquid sibi iuris in A. C. sacra arroget vel obtineat. Refricta itaque quoad hoc caput in I. P. principibus Catholicis superioritas, qua gaudent, territorialis. Equidem, uti ex sequenti §o magis apparebit, nulli negamus, Principibus Catholicis iurisdictionem ecclesiasticam, in subditos suos Protestantés falso ex superioritate territoriali vindicari; sed rationes, quare ita sentimus, firmiter fundamentis innituntur. Vix est, ut errorem, quem vir doctissimus errauit, multis detegamus. Earum enim sanctionum, quae de Episcopatu Osnabrugensi introductae sunt, rationem in eo sitam esse constat, quod Episcopatus ille alternis vicibus, nunc ad Catholicos, nunc ad Evangelicos deuoluitur; ex qua vicissitudine quoniam confusiones oriundas formidabant, quae alia via vix euitandae videbantur; sapienti consilio ius omne Episcoporum circa sacra subditorum diuersae religionis sublatum est. Quod, quia speciali iure introductum, produci non debet ad consequentias,

Pari

^{u)} Cauebis tamen, ne ea iura specialia, de quibus hic sermo est, cum illis confundas, quae in corpore iuris clausa dicuntur, quorsum v. c. pertinent, iura militum, dotium, beneficium cessionis bonorum, com-

petentiae, etc. quarum utique vtriusque religionis consortes participes fieri possunt, videbis l. H. BOEHMERI *ius eccl. protestanti* tom. 4. lib. 5. §. 221. p. 1051. et *perill. a KREITMAYR ad cod. civ. Bavar.* p. 2212. sq.

K

Pari ratione ea quoque quae art. V. §o III. sqq. de Augusta Vindelicorum et reliquis in eodem §o nominatis ciuitatibus imperii definita sunt, nequaquam ad alias ciuitates immediatas, multo minus ad municipales, extendi possunt. Nec ea, quae iure speciali, siue de Catholicis siue Euangelicis, constituta sunt, propter exactam illam aequalitatem communia fieri debent. Sic v. c. §o XIX. articuli V. annatae aliæque iura papalia, in bonis statuum A. C. ecclesiasticis immediatis, omnino cessant. Inde vero nequaquam sequitur, etiam inter Catholicos annatas, iura pallii, menses papales, et quae sunt alia pontificis iura, esse sublata. Aequè minus a §o XXVI. articuli V., ubi *iūs primariarum precum* Imperatoris, in fundationibus Euangelicorum mediatis, ad annum normalem adstringitur, argumentari potest ad fundationes mediatas Catholicorum, quippe summam hic subesse differentiae rationem in aprico positum est.

§. LV.

Accedendum nunc ad capita quaedam, quae ex parte tantum causam attingunt nostram, quae quidem breuitatis studio, quantum par est, in compendium coercebimus. Huc certo respectu pertinent, quae de iurisdictione ecclesiastica Principum Catholicorum in subditos Protestantes vulgatissimae sunt disceptationes; quas, nimirum latius excurrentes, pro dignitate excutere hic locus non est. Mittimus igitur alia omnia, quae vtrinque hac de re copiose disputata sunt, alio forsitan tempore merita causae diligentius examinaturi, in ea modo inquirentes, quae pro affirmatiua, ab aequalitate vtriusque religionis fodalium, argumenta petita sunt, in hunc quidem modum:
Quod

Quod pro se aequum iudicant, quo minus contra se iniquum iudicare possint protestantes, aequalitas prohibet:

Atqui Principes Protestantes, ex territorii et superioritatis iure, exercent iurisdictionem ecclesiasticam:

Ergo pari modo Catholici principis Euangelici subditi illam agnoscere tenentur.

Reddidi argumentum, cum omni peccato prout illud accepi ab ECKHARTO, qui ita habet x): „Iurisdictione ecclesiastica necessario comprehenditur sub iure reformandi; . . . ius reformandi, cuius pars est iurisdictione ecclesiastica, competit statibus immediatis, vna cum iure territorii et superioritatis; iam vero status Catholici sunt aequae territorii domini suis in ditionibus, ac status Protestantes: quamobrem, dum principes protestantes cum territorii et superioritatis iure iurisdictionem exercent ecclesiasticam, pari quoque modo ad principes Catholicos spectat in suos A. C. subditos Ius territorii principi Catholico cur non patrocinetur? Profecto, quod pro se aequum iudicant, non debent contra se iniquum iudicare protestantes, cum inter vtriusque religionis status omnes et singulos aequalitas esse debeat exacta, ita, vt, quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum.,,

Quod quidem argumentum tam in forma, quam in materia peccat. In forma videlicet, quia plus est in conclusione, quam fuit in praemissis: in materia vero, quia minor propositio plane erronea est, maior vero eatenus tantum vera, quatenus expressa exceptione a legibus agnita non limitata est.

K. 2.

Nunc

x) Io. Geo. Ioseph. ECKHARDT
f. praefes Io. Phil. HAHN in diss.
de iure principis Cathol. circa SS.

§. 40. in SCHMIDT thes. iur. eccl.
tom. 4. p. 70.

Nunc vero nemo nescit, in Euangelicos imperii status et ciues, tam pace religionis *y*), quam pace *W. x*), iurisdictionem ecclesiasticam cum omnibus suis speciebus esse suspensam, nec quicquam aliud ei surrogatum. Praeterea, quum Principes Euangelici, eadem fere ratione, qua Episcopi, Catholici, duplicem personam, aliam qua episcopi, aliam qua domini territoriales sustineant: recte affirmatur, iurisdictionem ecclesiasticam a Principibus Euangelicis exerceri quidem, at in genere non virtute superioritatis territorialis, sed potius vi iuris episcopalis, quod in illos translatum est *a*). Neutiquam igitur Principes Catholici id sibi iuris, vi superioritatis territorialis, arrogare possunt, quod a nemine, ne quidem ab Euangelicis, quorum latior est circa sacra potestas, vi superioritatis territorialis exercetur. Ab iis vero, quae ciues Euangelici a domino eiusdem religionis patiuntur, nullo pacto consequentia valet ad dominum diuersae religionis; vti nec a iure reformandi ad alia iura *b*). Denique non negligenda sunt expressa legis verba *c*), quibus Catholicis ea tantummodo iura seruantur, quae anno normali sine contradictione exerceerunt, cum expressa limitatione, *in iis tantum casibus, qui A. C. nullatenus concernunt*. Quibus omnibus accedit et hoc, quod nihil profecto a mente pacis *W.* esse potuit magis alienum, quam principibus Catholicis auctoritatem in Euangelicos concedere, quae tam facile in tyrannidem sacram degenerare potuisset,

et,

y) P. R. seu R. I. 1555. §. 20.

x) I. P. O. art. V. §. 48.

a) Haec est accuratio doctrina perill. BOEMERI, PÜTIERI, aliorum, v. ILLIVS princip. iur.

can. lib. 2. sect. 3. tit. 6. §. 249. —
Huius instituti. iur. publ. Germ.
lib. II. cap. 2. §. 423.

b) Id. l. c. lib. II. c. 3. §. 435.

c) I. P. O. art. 5. §. 31. 48. add.
P. R. §. 20.

et, quod maximum, auctoritatem, quam antea nusquam habuerant.

Sunt, praeter EKCHARDTUM, complures *d*), inter quos etiam *perill. a RIEFEL e*), qui ab aequalitate ad iurisdictionem principum Catholicorum in subditos Euangelicos argumentantur. Sed quum nihil noui afferant, et crambem bis coctam afferre taedeat, ad alia progrediamur.

§. LVI.

Non solum peccatur transfiliendo, verum etiam plus, quam par est, coangustando limites huius regulae. Idque primum fit per restrictionem ad dispositiones primae classis, quibus expressis verbis, in casu speciali, vtriusque religionis confortibus aequalia iura praefiniuntur. Equidem neminem vidi, qui iisdem verbis hoc affirmare ausus sit: at ex lepido isto disterio, quicquid Euangelicis non expresse concessum, id omne manet prohibitum, hoc, vel huius commatis aliquid, elicere contendunt huius causae patroni. Attamen, ex tam falso supposito quae colliguntur, falsissima esse oportet. Destructis igitur imbecillibus fundamentis, per se corruant necesse est, quae ipsi inaedificata sunt.

§. LVII.

Deinde nimium artis limitibus regulam circumscribere fatagit *perill. a RIEFEL*, quippe qui omnibus istis quantius pre-

K 3

tii

d) NELLER in princip. iur. publ. eccl. Catholicor. p. m. 144. WEDERKIND in diss. de iurisdictione eccl. dominis territorialib. Cathol. in subditos Pro-

testantes competente. (Heidelb. 1766)

§. 12. add. §. 8.

e) in commentat. cit. p. 31. sq.

tii argumentis. quae sigillatim taxauimus, utitur tantum, tanquam praemissis, ad statuminandum aliud *παροδοξον*, illud scilicet; *aequalitatem non nisi in in-administranda tam Catholicis, quam Evangelicis, pari iure iustitia consistere*. Qua in re ita procedit: primo theses illas negatiuas, quas modo recensuimus, quoque modo praemunire studet, tanquam praeparatorias et auxiliatrices; quo facto subiungit haec: f) „Darinn bestehet also die *wahre Gleichheit*, wie der W. Fr. anderwaerts erwachnt, daß den A. C. Verwandten und Catholicen, einem wie dem andern, ohne Rücksicht wessen Religion er sey, *Recht und Gerechtigkeit wiederfahre*, aber doch jeden nach seiner Art, Gebrauechen und Herkommen. *Ius ac iustitia aequae ac Catholicis citra respectum administrantur*„.

Attamen, quis quaeso est, cui *αυλλογισια* huius forit non statim illucescat? Aequalitas non est generalis — Ergo vnice in administranda iustitia posita est! Hoc erat probandum. Etenim posito etiam, sed non concesso, aequalitatem non esse generalem: ideone ad administrationem iustitiae restringi debet? Nonne datur tertium? Sed quantum omnino verosimilitatis specie prorsus destituta sit ista opinio, ex iis, quae Sectione III. exposuimus, euidentissime apparet. Praeterea vero, suis adeo verbis se ipsum iugulat huius causae patronus. Inserit enim commentationi suae sequentia §i. I. art. V. verba: „In reliquis omnibus inter vtriusque religionis Electores, Principes, Status omnes, sit exacta mutuae aequalitas, ibique monet: g) „Man siehet hier ohne vieles Entwickeln, daß die Rede von dem, *wovon der Religions und der W. Fr. schweigt*. Nunc vero clara prostat cum

f) vid. commentat. cit. p. 20.

g) comment. cit. p. 8.

transactiōnis Passau. *h)* tum pacis rel. dispositio *i)* qua iudici et assessoribus camerae imp. iniungitur, vt vnicuique, tam Catholicis, quam Euangelicis ius et iustitiam, citra respectum, aequali modo administrent. Quum itaque transactiōne Passau. et pace rel. vtriusque religionis confortibus in hoc iam satis prospectum sit; deinde, quum ex ipsa aduersarii confessione §o I. articuli V. pacis W. agatur de iis, quae pace religionis nondum decisa sint, ineluctabili sequela inde promanat, verba illa, *in reliquis omnibus*, etc. non vnice de administrandis pari modo iustitia intelligi posse.

§. LVIII.

Reliquum est, vt de iis restrictiōibus breuiter differamus, quae partim a legibus in totum antiquatis, partim a legibus falso explicatis, partim a dispositiōibus secundae classis falso petuntur. Quorsum pertinet I) quae passim circumfertur opinio, de voto *decisivo iudicis camerae*, qua regulae exceptionem impingi in propatulo est, quam quidem sequenti modo probare contendunt. Nimirum I) prouocant ad O. C. 1495. §. I. vbi cautum: „dafs wo die Beysitzer spaennig und auf jeglichem Theil gleich waeren, welchem dann der Cam-

h) transact. Passau. §. II. „So viel die Vergleichung der Stimmen, auch gleich unpartheyisch Recht zu erhalten . . . betrifft, ist in dieser Handlung bedacht worden: . . . damit in Religions - Sachen kein Theil sich des Ueberstimmens vor dem andern zu befahren, auch Partheylichkeit verhütet, und die Verwandten der A. C. am kaiserl. Cammer - Gericht nicht ausgeschlossen

fen . . . werden. etc.,,

i) P. R. §. 32. „Wir befehlen und gebieten hiemit dem kaiserl. Cammer - Richter und Beyitzern dafs sie sich diesem Friedtfand gemäs halten und erzeigen, auch den anrufenden Partheyen, ungeacht welcher der obgemeldeten Religion die seyen gebürliche und nothdürftige Hülff des Reichens mittheilen . . . sollen.,,

Cammer-Richter einen Zufall thut, dabey folle es auch bleiben,, II) Simul excitant I. P. O. art. V. §. LVI. quo fancitum est, vt in certis casibus lis terminetur, secundum O. C. III) Deinde a voto decisiuo, quod praesidi consilii imp. aulici ex O. C. I. A. tit. V. §. XXII. vindicare student, ad votum decisiuum iudicis camerae concludunt. Denique IV) Casus quosdam afferunt, quibus iudex camerae decisione sua litem dñemerit.

Argumenta fortissima, quibus effata illa funditus conueluntur, cum nemini fere incognita sint *h*), verbo leuiter attingere sufficiat. Quod I) ad citatum textum O. C. d. a. 1495. attinet, ei per O. C. d. a. 1555. derogatum est, cuius in prologo *l*) sancitur: „*dass alle andere hiebevur aufgerichtete Ordnungen und Satzungen, so dieser Ordnung zuwider verstanden werden moechten, hiemit cassiret und abgethan seyen.*„ Haec vero O. C. d. a. 1555. multa circa constitutionem iudicii internam immutat, ita quidem, vt haec constitutio anterior eo ipso tollatur. II) Excitatur quidem pace Westphal. O. C. sed minime gentium ea, d. a. 1495. vtpote quae ad eam iudicii formam, quae tum temporis erat, accommodata, ad posterius tempus ideo protrahi nequit, quoniam prisca huius tribunalis constitutio tempore pacis W. iam ita immutata fuerat, vt haec constitutio eo ipso non amplius locum habere posset. A. 1495. vnicus erat Senatus, post plures adornati, et in casu paritatis
voto-

h) vid. instar omnium WILH. AVG. RVDLOFF *über die sogenannte entscheidende Stimme des Cammerrichters.* Hannov. 1773.

l) Hanc. O. C. insertam reperies in der *Sammlung der R. AA.* OLENSCHLAG, *Ausg.* tom. 3. P. 45.

votorum vnus, post gradatim reliquorum adiunctio recentiori lege definita *m*), idque tantisper, dum caussa demum ad plenum deuoluatur, in quo si idem contingat, minime iudici camerae votum decisuum concessum, sed potius remissio ad comitia legibus introducta est *n*). Sequitur ergo, hac lege posteriori priorem illam esse antiquatam *o*). — III) A consilio imperiali aulico non valet consequentia ad iudicium camerae imperialis. — IV) Quoties iudex camerae de facto litem dirimere tentauit, toties status Euangelici contradixerunt *p*).

Quae cum ita sint, cum lex valida plane deficiat, cum eiusmodi votum decisuum descriptioni camerae repugnet, cum in primis exactae illi aequalitati, quam recentiores leges inter vtramque partem aduersus veterem illam legis auctoritatem introduxerunt, e diametro obstat, id iudici camerae ex analogia iuris nostri, quicquid demum dixerint alii, in rebus saltem iudicialis prorsus denegari oportet *q*). *Quicquid enim, quae sunt ipsissima I. P. O. verba r*), *contrarii hactenus vel editum, vel promulgatum publicatumue fuerit, irritum esto!*

§. LIX.

Deinde huc pertinet commentum illud *de iurisdictione ecclesiastica summorum imperii tribunalium in causis statuum Evangelicorum ecclesiasticis*, quod omnes fere Catholici vno ore propugnant. Ex omnibus momentis, quae pro defendenda hac thesi afferre solent, haec certe praecipua sunt: §. scilicet LV. art. V. I. P. O. qui haec habet: „*Causae ecclesiasticae et politicae inter Catholicos et A. C. status, vel inter hos solos vertentes . . . adlectis ex vtraque religione pari numero affe-*

m) O. C. 1555. p. I. tit. 13. §. 10. Conc. I. 25, 4.

n) I. P. O. art. 5. §. 56. cf. O. C. I. A. tit. 5. §. 22.

o) add. MEIERN l. c. tom. 5. p. 489.

p) V. SCHAVROTH t. I. p. 285. seqq. FABER t. 34. p. 557. et *Neue Samml. der R. AA.* parte 4.

p. 347. cf. HARPPRECHT im *Staatsarchiv des kaiserl. C. G. 2. Th.* §. 72. p. 69.

q) vid. instar. omn. *Dav. Georg. STRUBE, ob und welche Religions- und Kirchenfachen der Evangelischen vor die Reichsgerichte gehören in t. Bedenken Th. 2. (1763.) p. 21.*

r) Art. V. §. 50.

foribus difcutiantur et iudicentur, deinde R. I. N. §. CXXIV. vbi cautum: „in reuifionibus welche in *geiftlichen* oder *Religions-Sachen* gefucht werden möchten, folle der effectus fufpenfius fo lange gelaffen werden, bis man fich . . . verglichen., At enimvero hi textus minime intelligi poffunt de iurisdictione ecclefiastica omnimoda et vniuerfali fummorum imperii tribunalium, vtpote quam nec tempore pacis W. nec vnquam habuerunt, aut acquifuerunt: fed de fummaria tantum cognitione in cauffis ecclefiasticis pace rel. et W. definitis. Quifquis igitur contra pacis W. normam fe laefum putat, et ad tuendam fecuritatem in ftatu poffeffionis agit, ad fubeundam, in antedictis iudiciis, cauffae cognitionem obftrictus eft. Hae nimirum cauffae, quae in cognofcendo tantum facta, vbi diuerfitas principiorum religionis influere non poteft, verfantur, verbo, fingula grauamina religionis, huc pertinent, et de his quidem excitati textus interpretandi funt s). Optime hoc declarat et extra omnem dubitationis aleam ponit *Capitul. nouiff.* art. I. §. XI. „Wo auch felbige (A. C. Verwandte) fich *gegen das Instrumentum pacis*, . . . befchwert zu feyn erachteten, follten und wollen wir uns auf ihre, derer A. C. Verwandten Churfürften und Ständen . . . an uns thuende Vorftellungen ohne allen Anftand *obgedachten Reichsgrundgefetzen gemäs*, entfchließen, foftot fothane unfere Entfchließung denenfelben zu wiffen thun, folche auch ohngeftümt zum wirklichen Vollzug bringen; *keinesweges aber in cauffis religionis Proceffe verftatten*, fondern darunter *lediglich oberwähnten Reichsgrundgefetzen nachgehen*. Huc accedit, quod cauffae ecclefiasticae Catholicorum ab omnino iurisdictione fummorum imperii tribunalium immunes funt, et cum negari nequeat, fecuritatem religionis Euangelicae periclitari, fi cauffae quaelibet ecclefiasticae iurisdictioni horum dicasteriorum fubiicerentur, illud quoque oppido apparet, affertum illud vel maxime exactae aequalitati inter vtriusque religionis confortes ftabilitae aduerfari t).

§ LX.

s) perill. *GRISLER de grauamm. vel. auctoritate iudicior. imp. tollendis* per tot. inprimis vero §. 8. p. 14. t) vid. *FABER. t. 26. p. 121. fqq.*

§. LX.

Refringitur denique ultra iustos limites aequalitas perfrictam interpretationem dispositionum secundae classis, quibus scilicet vni tantum religionis parti, quoad sensum verborum grammaticum iura adscribuntur, a quorum communione altera neque expresse arcetur, neque ad illam expresse vocatur. Ita videlicet *perill. Koch*, occasione insignis illius et adhuc pendens controversiae, de redivisibus suppressorum ab Electore Moguntino monasteriorum e territorio Hassiaco debitis; §um XLVII. art. V. I. P. O. interpretatus est, indeque colligit: pensiones, foundationibus ecclesiasticis ex alienis territoriis debitas, exsoluendas quidem esse domino destructi monasterii Euangelico, minime vero domino Catholico *u*). At enimvero, quum vis regulae praecipue in eo conspicua sit. quod ea iura quae alterutri tantum parti, siue lege siue pacto seu consuetudine quaesita fuerunt, quatenus forma reipublicae, constitutiones imperii, et expressae pacis *W.* dispositiones non aduersantur, ad alteram aequae applicauerit: facile apparet, dispositiones secundae classis exceptionibus a regula adscribi non posse. Cui bono enim haec regula stabilita esset, si tantum in iis capitibus aequalitas seruari deberet, vbi expressis verbis inter vtramque partem constituta est? Equidem huic sententiae magnum pondus addit responsum facultatis iuridicae Goettingensis d. d. XII. Nou. 1773. *x*) quo

u) *Neuer Aufschluss über die Stellen des W. Friedens welche die Mediat-Klöster und deren Güter betreffen.* p. 191. sqq. add. ei. *Reuision* etc. p. 15.

x) hoc respons. adiunxit *FRIEDER. BOHMER V. C.* suae commentationi *de iure occupandi statuendique de bonis extincti ordinis Jesuitar.* (Gott. 1779.) cuius responsi qui huc pertinet locus §o 13,

ita conceptus est: „Die billige Auslegung bringt es mit sich daß der Inhalt des §i XLVII. worinn der Catholischen Stiftungen nicht gedacht wird, aus der sonst nach art. V. § 1. zum Grunde liegenden vollkommenen und wechselseitigen Gleichheit der Gerechtsamen der Stände beyder Religionen auf gleiche Weise von diesen zu verstehen sey.“ add. *laudatae diss. §. XLI. p. 97.*

quo propter regulam exactae aequalitatis Catholicis eadem iura attribuuntur, quae §o XLVII. Euangelicis tantum expresse concessa erant Quid? quod ex ipso instrumento pacis W. constet, pacificatores eidem sententiae calculum suum adiecisse. Praecipunt enim §. XLVI. art. V., illos redditus, quae vigore pacis religionis Statibus A. C. ob immediatas vel mediatas fundationes ecclesiasticas e Catholicorum prouinciis deberentur, quorumque in possessione vel quasi percipiendi d. I. Ian. a. 1624. fuerint, absque vlla exceptione soluendos esse, cum tamen pax rel. explicite tantum de redditibus statuum Catholicorum loquatur, nec vllibi, quoad hoc punctum, Euangelicis expresse prospiciat. Quare ita recte argumentabimur: Exacta aequalitas, inter vtriusque religionis confortes stabilita, inuoluit, vt quod vni parti iustum est, alteri quoque iustum esse debeat, donec probetur contrarium. *Atqui* vni parti hoc vel illud, vi specialis dispositionis, iustum est, quod alteri nusquam denegatur: *Ergo* idem hoc alteri quoque parti iustum esse debet.

§. LXI.

Ex his, quae haecenus disserere licuit satis elucet, naturales regulae nostrae limites nequaquam obstare, quo minus generalis vocari possit ac debeat. Minime enim quod satis euicimus, illius vis consistit solummodo in administranda, vtriusque religioni addictis, pari iure iustitia, sed potius in aequali et communi vsu, omnium omnino imperii ciues, vtriusque religionis, quilibet pro statu ac conditione sua, pari modo fruuntur ac proteguntur. Sacrosanctum esto hoc palladium bono cuique, quo laesae olim humanitatis iura connata munita sunt. Hoc impia manu qui violat, qui pestifero religionis odio agitatus in conciuem ruit, opprimere infontem qui potest, heretodoxum tolerare qui nequit:

hic niger est, hunc tu Germane cauet!


ULB Halle
007 670 753


3



WIP







DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
EXACTA AEQUALITATE
INTER VTRIVSQUE RELIGIONIS
CONSORTES
PER IMPERIVM GERMANICVM.

QVAM
AVSPICIIIS REGIIS
ILLVSTRIS
IVRISCONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
FRIDERICVS AVGVSTVS SCHMELZER
FRANCOHVSANVS.

DIE X. SEPTEMBR. CIDIICCLXXXV.

GOETTINGAE
Typis B ARMEIERIANIS.